









27  
DISPUTATIO MEDICA THEORETICO-PRACTICA,  
DE  
**HÆMORRHAGIIS**  
**CRITICIS,**

*Quam*  
AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO  
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, ET DUCATUS MAGDEBURGICI  
VICARIO.

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU  
SUB PRÆSIDIO  
**D. MICHAELIS ALBERTI,**

Publicæ ventilationi exhibet

RESPONDENS

**JOHANN GOTTLOB TITIUS,**

Wintziga-Silesius.

*d. April. A.O.R. MDCCX.*

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.



2

INSTITUTIO MEDICAE THEORETICO-PRACTICAE  
DE  
HAEMORRHOIDIS  
CRITICIS

AVCTORE DR. GOTTFR. MAXIMO  
IN ACADEMIA REGIA ERIBERGIANA  
PREFECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
CEREBRASSIMO PRINCEPS NO DOMINO  
DR. PHILIPPO WILHELMO  
IN CITE BORUSSE MAGNIFICENTISSIMO  
RECTORI ET DECANO MAGNIFICENTISSIMO  
VIGARIO  
GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU  
SUB PRESIDIO  
D. MICHAELIS ALBERTI

RESPONDENS  
JOHANN GOTTLOB TITMUS

WITTEB. 1774  
P. 1. NO. 1000

IN ACADEMIA REGIA ERIBERGIANA  
PREFECTORE MAGNIFICENTISSIMO







## PROOEMIUM.



Es terrenas, & inter easdem præ-  
primis animatas creaturas diver-  
simodè judicari & discretim æsti-  
mari, edocet quotidiana observa-  
tio, ita, ut quædam ratione ge-  
neris, speciei, usus & commodi,  
digniores, nobiliores & quovis  
studio prosequendæ & acquiren-  
dæ merito censeantur; aliæ vicissim utilitatem levio-  
rem, steriliorem & imperfectiorem verè promittentes,  
non modo leviozem commendationem, sed & sterilio-  
rem applicationem & denique imperfectiorem posses-  
sionem constituent, comprobent & conservent, non  
præjudicante illo imperfecto plurimum, & ludicro quan-  
doque rationis, tanto magis humanæ, exercitio & usu,  
quo partim usus sinceri & veri harum rerum per pro-  
teruos abusus perperam suspecti redduntur, partim et-  
iam, & tanto deterius, vel per immaturam consideratio-  
nem & inde progerminantem confusam & erroneam  
opinionem, vel per malevolam & fastidiosam expositi-  
onem, imminuuntur, obscurantur & ut indigni & alie-

A

ni



ni torvo vultu rejiciuntur. Ex innumeris ejusmodi documentis & speciminibus, unicum tantum & nostram maxime intentionem concernens, producere perplacet, ex quo asserti nostri firmitas apparebit, quod æstimationes rerum discrepent tam quoad verum usum & necessitatem, quam quoad opiniones & judicia hominum. De Sanguine, eo magis vero humano pauca hic præfari intererit; quantam hic ubivis habeat existimationem, tam ex sacris, quam profanis insuper literis elucescit, adeo, ut in sacro codice quandoque pro vita, alibi pro thesauro aut vehiculo vitæ, imo iterum alioloco pro ipsa anima suppositus & æstimatus, asseratur & proferatur; quemadmodum communis illa Physicorum & Medicorum provocatio abunde cognita existit, quasi sanguis sit ipsa illa anima, quam, ut sperant, pro meliori explicatione ac illustratione, ut & veræ fidei conservatione, vegetativam esse, & secundum recentiores, Spiritus vitales, serio & religiose credunt & confitentur, eaque propter, quod scilicet sanguis realis & substantialis anima sit, ab altissimo Numine illud præceptum interdictorium latum & confirmatum esse, ne homines sanguinem comedant, quia sanguis est anima, aut secundum alias & firmiores interpretationes, quia sanguis est pro anima, & comparativa interpretatione, quia sanguis a Deo habeatur ut anima, ubi illam hoc loco *Augustini* decisionem ex multis aliis specialius annectere placet, qui animam hominis vel bruti sæpius pro vita animalis in verbo revelato sumi asserit, cujus asserti testimonia præbent textus *Deuteron*: XIX, v. 6. 21. & cap. XXVII, v. 25. & quæ versio vernacula ex *Levitic. cap. XVII*,



XVII, v. 14. huc trahenda, quod vita corporis sit in sanguine, aut quæ alia & latina versio constat, quod anima omnis carnis sit sanguis ejus, τὸ αἷμα αὐτῆς secundum græcam versionem, ubi minime illius *Augustini* effati oblivisci decet, quo circa multiplicem talem versionem & interpretationem confusionem aliquam occurrere affirmat, in illa, existentia, essentia & præsentia animæ commiscela, unde etiam subjungit, dum sanguis est, nimirum integer, bonus, illæsus, vita est, dum vita est, anima præsens est, ut hæc omnino sint inseparabilia; unde & alio ordine argumentari licebit, ubi sanguis comeditur, ibi hæc substantia consumitur, quæ de vita & anima ejusdemque utilitate & dignitate verum testimonium conciliat & suppeditat, ut itaque sanguis non pro ipsa anima, sed pro maxime necessario instrumento animæ, cum quo veram vitam producere, & efficere corpus vivum asseruare, inque vitalitate prolongare possit & soleat, accipi commodè queat, unde vita & vitalitas Deo optimo maximo in creaturis suis semper grata & accepta, mors vero & mortalitas contraria & aliena existit, quoniam mors de inobedientia & miserrimo protoplastorum lapsu, ipsiusque animæ, antea in optata & perfectissima integritate condita, deploranda depravatione manifestum testimonium præbet, adeoque indicat, jam illum pristinum perfectionis statum degenerasse in summam infirmitatem & imperfectionem; quare in animæ æstimationem, ut Spiritus incorporei, quam animam semper beatam esse & æternæ felicem Misericors Deus desiderat, simul proximi animæ instrumenti sanguinis scilicet existimationem collocat &



constituit. Ne vero diffusiori Philologiæ inhæreamus, quam forsân alia occasione uberior explicatio subministrabit, placet tantum pro præsentî illud in nostram tractationem ducere, quod ubique notabilis sanguinis æstîmatio occurrat & vel vera ac digna, vel superstîtiosa & inutilis, quæ ultima multis sterilibus tropis passim exposita elucescit, quibus præcipuè nudus Physicus sanguinis habitus quoad qualitates & principia sua mirificè commendatur, cum econtra in relatione ad animam (quam benignissimus Deus jam tum introduxit) longè præstantiorem & certiorè utilitatè inferat ac promittat sanguinis consideratio, qua animæ necessitas pro sanguine non solum efficiendo, sed & conservando, & sanguinis necessitas pro anima cum & in corpore movente facile dilucescit; quo magis alterius indolis institutæ sanguinis docimasæ, quæ de ejusdem Volatilitate, Elasticitate, Spirituositate, balsamica virtute &c. amplificè garriunt, vix ullum usum in Medicinam collocent & deponant, sed eò magis, quod perpetim affirmamus, salutarem alias artem Medicam depravent & confundant. Unde digniorem merito æstîmamus illam æstîmationem sanguinis, in quantum animæ commercium minime excluditur, sed prudenter & constanter connectitur, siquidem anima vitaliter movens, cum & ex sanguine multas tam mixtioni quam texturæ & structuræ corporis indies imminentes læsiones proscribit & avertit, quia ut plurimum principalissimè cum & ex sanguine, multas sui corporis læsiones sustinet & admittit; ea propter vero minime sanguinis æstîmatio in relatione ad animam suspecta esse debet, quoniam ejus-

mo-



modi res terrenæ & physicæ multiplicibus nocuentis & periculis subiectæ & expositæ sunt, ex qua etiam circumstantia illa sanguinis dignitas nullo modo profuit, quod scilicet quam maxime corruptibilis sit, quippe quæ sanguinis expositio physicæ magis contemplationi inservit, sed illa nobis utilis & digna iterum manet consideratio, pro sanguinis dignitate & æstimatione conservanda & defendenda, quod anima in vitalibus sine sanguine salutare quicquam agere, vel per conservationem boni vel per aversionem mali status in homine præcipue (ubi paucitatem animalium sanguine carentium, hoc loco non attendimus, sed a potiori iudicium ferimus) nihil possit aut valeat, quanquam sine sanguine prima rudimenta ad proximam vitam motu & modo conservatorio administrandam, quæ tamen vere & distincte loquendo nondum præsto est, collocet & disponat, quam vero vitam sine sanguine prolongare usitatus neque potest neque solet. De tali naturæ actu pro conservanda & prolonganda vita & integritate corporis cum sanguine ejusdemque specialiori commotione præcipue in periculis jam proxime impendentibus, agit præsens nostra Disputatio, in qua HÆMORRHAGIAS CRITICAS exponere & dignitatem atque æstimationem hujus considerationis pro meliori naturæ notitia in actibus suis, quos vel ut salutares intendit, vel simul ut tales in inventione & executione confirmat, commendare placet. Deus vero qui author est vitæ & veritatis, dirigat nos cum gratia sua ut hujus vitalis actus in veritate & firmitate ubique reminiscamur.





Utiplures esse causas & substantias, ex quibus corpori humano diversa læsio accedit & minatur Theoria medica communiter prolixius & nonnunquam profusius edocet, inter hæc vero maxime eminent illæ, quæ huic corpori nunc *proprie* sunt & *dome- stica*, quanquam antea *aliunde* acquirantur, & vel aliquandiu in aliqualem *utilitatem* & commodum convertantur, vel prima statim receptione *alienæ*, noxiæ & præjudiciosæ existant, ut propterea proxima ejectione indigeant; neque hæc solum tam suspectæ sunt indolis, sed solent insuper utiles materiæ, si conditionem *necessitatis, usus, ordinis, moduli, temporis* excedant, in aliquod nocumentum degenerare, & bonum, cum bonitate sua excedente depravare ac invertere, adeo ut in vitalibus plane sinistra sit illa mathematica argumentatio: si bonum accedit bono, tanto magis illud bonum evadit; cum econtra certior & in experientia abunde confirmata magis sit opposita conclusio: si bonum accedit bono, tanto magis malum evadit illud bonum, præcipue si hæc additio ad abundantiam *inutilem* usque extenditur & prolongatur.

Sicuti numerosæ & discrepantes sunt ejusmodi substantiæ, ita per diversas *vias*, cum diversis *motuum gradibus*, per diversa *organa*, in diverso *tempore, successu, pondere* & *usu* eliminari debent, quæ diversitas tanto magis dilucescit, quo dignior *actus*, quo magis & exquisitis terminis circumscriptus *finis*, quo periculosior *status* & quo activior denique ac magis sollicita est *natura*; in omnibus vero hisce circumstantiis ut plurimum illud valet quod *Hippocrates* & cum illo multi antiquissimi Medici elocuti & professi sunt, quod natura ejusmodi substantiis semper *viam* & *tempus* invenire soleat, & ut *Galenus in lib. 2. de Febr. diff. cap. 5.* confitetur: *Tentat na-*



*tura suis semper viribus usa, quod alienum est excernere, adeo ut hic merito cum hisce Priscis Naturæ & artis Inquisitoribus, differentias substantiarum & excretionum earundem quoad diversitatem temporis, moduli, successus & viarum, non aliæ causæ quam naturæ communiter adscribendas esse judicemus.*

§. III.

Ex ejusmodi causis materialibus corpori jam *intrinsecis* & *domesticis* quæ pro læsione aliqua concilianda & inferenda ut aptæ, ita & solennes sunt, est principalissima illa, *Sanguis*, humor alias ut *necessarius*, ita & *utilis*, tanto magis vero talis, si vel in *qualitate* sive *Crasi* sua purus, bonus, nullisque alienis ac mixtioni animali totidem inimicis substantiis inquinatus sit, vel in *quantitate* sua, tam *capacitatem* legitimam & justam corporis, quam *activitatem* ordinariam & limitatam naturæ energiam minime excedat; quamvis in utroque posteriori requisito tam corpus solito majorem, & copiosorem quantitatem non tam positive *recipere*, quam passivè *continere*, ut perinde non licentiosius ad physicam necessitatem & æquilibrium mechanicum provocare deceat, cum specialissimæ insuper hujus circumstantiæ quædam suppetant observationes, subjectorum, etiam sub grandi & ponderosa Plethora nihil ægrius aut pejus, sed sub reliqua tranquillitate commode vita fructorum, quam illud principium vitale solito majus pondus ad *certum tempus* movere, regere & dirigere queat; interea communius & ordinatius ex alia, quam physica ratione corpus & quantitate sublesta ac superflua liberatur & substantiis heterogeneis exinitur.

§. IV.

Hujus vitalis actus excretorii præcipuè, dignitas & utilitas ex eo clarius eminet, quod in legitima & exquisita *methodo*, commodo & decreto *tempore*, capacibus & ordinariis *viis*, sufficienti, & temperata *mensura*, vegeta & constanti *activita-*



tate exhibeatur, tanto magis vero in proxima necessitate & periculo justo tempore adstringatur, citiori termino circumscribatur, & majori alacritate absolvatur, ut in *extraordinario* statu, etiam *extraordinaria* assiduitas & activitas, mensura & tempus adhibeatur & informetur. Et hac præprimis Emphasi febres prosequi & exequi solet natura, in quibus certis sæpe crisi- bus materia de præsentis œconomiz animali citatiorem no- xam minitans proscribitur & ejicitur; sive illa jam organica subtilis sit & ad sanguinis propriam indolem minime perti- nens, sive ipse sanguis ejus aptitudinis existat, ut cum quantita- te sua magis præsentaneum & grave nocumentum inferat, un- de iustæ & salutares Crises non indole sua & essentia differunt, sed quoad materiam ream, quæ illo actu magnifica activitate ejici, & quoad vias, per quas proscribi debet: adeoque dantur Crises paulo frequentiores, per sudorem exeuntes, aliæ, per Diuresin sese terminantes, imo per hæmorrhagias, exanthema- mata, abscessiones &c. decurrentes, de quibus singulis hoc lo- co tractare nostrum propositum non permittit.

§. V.

Unde placet hoc loco differere de Hæmorrhagiis Cri- ticis, præcipue illis, quæ magis Salutari eventu gloriantur, li- cet neque easdem penitus negligere velimus, quæ alio, quam utili exitu terminantur, ut ex hisce tanto magis indoles saluta- ris Criseos per hæmorrhagias exeuntis, innotescat. Sunt ve- ro Hæmorrhagiæ Criticæ, excretio sanguinis extraordinaria, in Febris præcipue hac exoneratione indigentibus, occur-rens, extraordinaria activitate à natura, extra ordinem et- iam largiori mensura, critico, præprimis autem proxime ad criticum genus pertinente die suscepta, & vel in usum corpo- ris sub imminente periculo periclitantis salutari exitu ex sim- plici Criseos indole, deducta, vel ex accidentium alienorum con- cursu cum detrimento præprimis sinistre determinata: quibus brevem conspectum & habitum harum hæmorrhagiarum sup- pe-



peditavimus, ut inde tractatio nostra primo hoc conspectu in compendio agnoscat & assumatur, sed quibus etiam subinde abusivam illam & inconvenientem interpretationem hæmorrhagarum criticarum declinamus; qua periodicæ, consuetæ, annuæ, menstruales hæmorrhagiæ indiscretim ad criticam decursionem & significationem perperam protrahuntur, licet de cetero hæ hæmorrhagiæ tales multoties salutares sint & cum notabili levamine succedant.

§. VI.

Sed placet rectius cum veteribus criticas evacuationes; *typis suis criticis* restituere, neque exquisitam illam Criseos indolem & acceptionem profanare, sed ad mentem venerandæ antiquitatis, quæ hujus agnitionis & cognitionis prima & illa solida satis fundamenta disposuit, ipsam genuinam Historiam texere & supponere. Placet vero pauca quædam præmonere antequam ipsum hoc negotium aggrediamur & quidem *PRIMO*, quod in præsentī tractatione circa illud *criticum* nos diffundere, & in varias ejusdem acceptiones immiscere minime cogitemus, neque *SECUNDO hæmorrhagias criticas* ad alios morbos, quam quibus *alias crises essentielles* sunt & *proprie*, extendere, neque, *TERTIO hæmorrhagias* quasvis, *calidis medicamentis* contra indolem affectus, impulsas & concitatas pro criticis exponere, multo minus *QUARTO* ex ejusmodi eventibus *naturam* culpæ, neque, *QUINTO* ad ejusmodi eventus principalius negotium *criticarum hæmorrhagarum* protrahere, sed rectius *SEXTO Crisim* justè per *hæmorrhagias* exeuntem laudare & commendare studeamus.

§. VII.

Ut itaque rem propositam in ordinem tractemus monendum erit ultro, quod *Hæmorrhagiæ critica* longe accuratius de illis *spontaneis* sanguinis evacuationibus dicantur, quæ in affectu aliquo *brevioris* circuitus iusto *critico* tempore & prompta activitate fuscitantur & determinantur, neque per

B

re-



remedia vel *impellentia* vel *adstringentia* vel *refrigerantia*, quibus alia excretionibus turbantur, impediuntur & cohibentur, excitantur & provocantur, quales hæmorrhagias etiam in *acutis* typis orientes & perperam pro criticis venditatas communicant A. N. C. passim, & placet ex aliis allegare *Dec. l. an. 7. obs. 55. Winkleri & decur. 2. an. 4. obs. 37. Ernii* cujusmodi hæmorrhagiarum *Dodonæus, Hæchsteterus* aliique largam mentionem faciunt, de quibus pauca adhuc inferius dicturi. Quoniam vero veteres principaliter *Criseos* indolem exquisitis diebus, præcipue in morbis *acuti* magis genii descriperunt & prudenter adnotarunt, ita *Hæmorrhagiæ critica* rectius dicenda erunt de illis sanguinis evacuationibus *spontaneis*, quæ in *febris* præprimis *citationi* typo instructis, exoriuntur, cum alias nimis generalis esset *Criseos* acceptio, quando ad quasunque solutiones & resolutiones extendere-tur, & cum ex accurata determinatione ad *unum diem & noctem* non indifferenti, sed emphatica annotatione in *Prognosticis Crisis* restringatur, quæ sub peculiari vigore & exacerbatione præsentis affectus iustificetur & ordinetur.

§. IIX.

Optimè vero ex omnibus huc quadrat illa *Criseos* acceptio ab *Hippocrate* edocta, qua actus evacuationis, exturbationis, ejectionis ab interioribus ut plurimum ad exteriora directus, materiæ noxiæ & adversæ in proximo periculo & necessitate sub reliqua extraordinaria activitate & promptitudine in certo decreto die, fuscipitur & deducitur, unde missis re-quis amphiboliis hanc *Criseos* significationem amplectimur & prosequimur, & specialiori declaratione *Hæmorrhagiam Criticam* legitimam appellamus *actum naturæ in genere salutarem, quo sanguinem superfluum & inde etiam noxam proximam inferentem specialioribus directionibus critica indolimaxime convenientibus vegete ejicit*, & non tam ad excretionem condemnat, sed ad eandem jam condemnatum ultima executione in decreto justitiæ suæ exercenda die promoveret & denique exturbat, natura, ita ut sub & proxime ante hanc executionem



onem in motibus suis ut plurimum immisericors, audax & se-  
vera sit, qua vero iuste peracta, mitis, placida, benigna, faci-  
lis & mitigata compareat prodeatque: hinc in hoc negotio non  
aliud, nisi iusti iudicis officium gerit, & pro hoc iudicio iuste  
exequendo omnes notorios apparatus instituit, ordinat & de-  
terminat.

§. IX.

Et in hac sua iustitia natura dextrè *æstimationem* non *ge-  
neralioris* usus sequitur, qua hanc aut aliam materiam adhuc  
qualitercunque proficuam censere possit, sed *specialioris ne-  
cessitatis & consequentiæ*, an hæc materia sub hoc æque statu  
prosit, annon sub concursu variarum circumstantiarum, ma-  
iorem noxam inferre queat & soleat, non tam *simpliciter* no-  
xiam materiam ita *decernit & dijudicat*, sed & illam quæ alias in  
genere quidem bona & laudabilis est, in specie vero in relatio-  
ne ad corpus *individuum* ejusque *individuales* circumstantias  
suspecta & aliena evadit, ejicit; hinc neque sanguini etiam flo-  
ridissimo & alias integerrimo parcit, nihil præjudicante gene-  
raliori æstimatione, quam de sanguine sovet natura; quo re-  
spectu, sub placida interpretatione verum est illud *Vallerio-  
læ* de sanguine elogium: *sanguinem a sua ipsius degeneran-  
tem natura tanto fieri naturæ odiosorem, quo erat ille suam  
servans naturam, gravior*: ad quam sanguinis, ita dictam na-  
turam etiam iusta proportio pertinet. Quare in hoc sensu  
& consensu reliquæ *criseos* species hac critica hæmorrhagia ni-  
hil *prærogativi* possident, quæ ultima secundum generalio-  
rem hanc considerationem tam facile & tam frequenter in  
congruis affectibus evenire ut potuit, ita omnino etiam sue-  
vit; unde in primordiis adhuc hujus tractationis modeste præ-  
cavemus & præmonemus ne *Hæmorrhagiæ criticæ* pro obso-  
leto & alta nocte magnoque silentio suppresso negotio decla-  
mentur, sed pro actu de naturæ extraordinaria *energia*, ex-  
quisita *activitate* & admiranda *inventione* perspicue edocente  
agnoscantur & commendentur, quæ licet inter *Græcos & A-  
rabes* tam frequentiores quam magis cognitæ fuerint, ita cum





ex prisca Medicina & accurata Historia Medica profuant, & multam lucem in solidam Theoriam & Experientiam medicam effundant, omnino penitioris disquisitionem & connectionem merentur.

§. X.

Non fert ex argumento tractationis nostræ larius discurre in negotium hæmorrhagiarum, quæ vel *abusive critica*, dicuntur, vel *symptomaticæ* magis sunt & alias sine critico typo & eventu in febribus occurrunt, quales posteriores non modo varie ab authoribus allegantur, sed hinc inde hodiernum in praxi medica occurrunt, in quo tamen campo & classe placet illud Phænomenon ex ipsa experientia commendare, quo hæmorrhagiæ tales in febribus ex usu & abusu, illo, quidem per *initia* febrium præcipue acutarum adornato, hoc vero non nisi quovis tempore inconveniente, remedium *calidorum*, *acrium volatilium*, & massam sanguineam valde & *estuose* commoventium, vel *refrigerantium* & secretiones & excretiones *diureticas*, & *diapnoicas* confundentium & reprimentium, suscitatur & impulsæ fiunt, cujus phænomeni *Zacutus Lusitanus*, *Fernelius*, *Hæchsteterus*, *Bonetus* maxime vero & *Sydenhamius*, ut seduli & prudentes observatores merito a nobis commendantur, quo insuper referenda est ante citata observatio ex *A. N. C.* qua hæmorrhagia *in variolis ex remedio calido provocata* in historia quadam medica offertur: huc pertinet *obs. 147. Dec. 3. an. 2.* qua vehemens hæmorrhagia narium sistitur in febre, ut dicitur maligna, qualis tamen exquisitius pensitata non est, quæ, ut historia fert post usum *camphoratorum* & largiorum *volatilium*, superinductorum etiam *refrigerantium* & *opiatorum* orta est.

§. XI.

Hisce præmissis placet nunc *Historiam Hæmorrhagiarum Criticarum* propius inspicere, & in illa *Diversitatem* passim obviam primo annotare: quemadmodum vero *PRI-MO* ex extraordinariis Hæmorrhagiis, illa quæ e *naribus* succedit ferè familiarissima est, licet in ordinario veluti statu  
Men-



Menstruus foeminarum fluxus longe numerosior sit, respectu *subiectorum*, attamen non frequentior respectu suæ *recursionis*, ut sub hac consideratione iterum Hæmorrhagia narium in apto subiecto frequentior sit in *numerica* recursione, cum per menstruum aliquod tempus in prædictis individuïs sanguis aliquoties vel singulis hebdomadis, vel adhuc frequentius e naribus profluere soleat, nihil inde ægrius versante individuo; Menstrua vero foeminarum non nisi semel in illo menstruo tempore succedant, ut adeo hoc respectu *frequentius* occurrat Hæmorrhagia Narium critica, præ reliquis Hæmorrhagiarum criticarum speciebus: est vero illa allegata *frequentia* apud nos præcipue ita *restricta*, ut, licet non communius occurrat, tamen præ reliquis hæmorrhagiis in tantum frequentius, in quantum reliquæ adhuc rarius contingere soleant. *SECUNDO*, quia cum hac critica evacuatione *extraordinarius* plane effectus intenditur, ita ad eundem finem plane extraordinariam *inventionem* sequitur & crisin familiarius per hæmorrhagiam narium, ut longe magis extraordinarium actum, quam per menstrua foeminis communiora adornat natura. *TERTIO* quia hæ *febres*, quæ criticam talem sanguinis depletionem *proprie & essentialiter* respiciunt, *masculis* iterum frequentius quam *femellis* eveniant, & *QUARTO* illis non nisi *iunioribus* & adhuc in hisce annis constitutis, in quibus tales narium hæmorrhagiæ succedere solent, ut inde etiam frequentia hujus criticæ hæmorrhagiæ compareat, quin imo *QUINTO* talis præcipue *Crisis* in *illis* oritur, qui alias ad sanguinis *evacuationes* præcipue per nares exeuntes *adfecti* fuerunt, unde *SEXTO* hæ crises familiarius hisce *iunioribus* annis aut activitate *iuvēni*, confirmatis, juventutemque æmulantibus contingere solent: qualem fluxionem sanguinis e naribus in junioribus allegat *Hippocrates* in libro *Prænotionum* asserendo: *Potius tamen & eo casu in iuvenibus sanguinis fluorem expectato, iis vero, qui trigessimum annum attingunt & senioribus minus.* Quemadmodum alias frequentius laudatus *Senex* hanc iudicationem per Hæmorrhagiam narium commendat, partim in libr. *Epidem*



dem. & *Prænotion. coacis* partim & *Aphorismis*, quos *Textus* latius colligere non vacat.

§. XII.

Præter hanc Criticæ Hæmorrhagiæ speciem, occurrit adhuc altera qua *Menses* in febribus critico die eruperunt & largius etiam fluxerunt, quæ vero Hæmorrhagia *infrequentior* partim ipsa experientia testante, partim ipso *Hippocrate*, qui ejusdem non adeo frequentem mentionem injicit, interim de hac hæmorrhagia critica expresse edocet *lib. i. Epidem. quod mulieres, quibus die critico menses erumpunt, omnes periculo morbi defunctæ sint*: ubi de hac Crisi monendum, quod tempore *Hippocratis* non æque rarissime occurrerit, sed in suis limitibus adhuc satis frequenter, cujusmodi felicitis & saluteris criseos *Senex* diversa in *libr. Epidem.* producit exemplaria, eoque provocat, quod nec ullam ex his, quibus hæc crisis recte contigit, mortuam conspexerit. Hoc vero ad nostram rem ex hac specie Hæmorrhagiæ critica confert, quod illa nostris temporibus & nationibus *frigidioribus* omnino infrequens sit, tam quoad perfectam eruptionem & successionem, quam quoad molimina eminus ad hanc evacuationem respicientia, cum econtra hæc *molimina* ad hæmorrhagiam narium criticam pertinentia inter nostrates, paulo magis frequentia sint, licet Crisis perfecta per talem hæmorrhagiam æque apud nos *rara sit & infrequens*. Ceterum vero ejusmodi Crisis per *Menstrua* neque sponte facile succedit, neque per *remedia* calida & alexipharmaca impulsæ commode sequitur, nisi sub febrili discursione, incidat illud tempus *recessionis* mensium & antea *remedia* massam sanguineam commoventia, vel prodiga vel liberaliori manu exhibita fuerint, inde inquam solet aliquando talis eruptio *menstrua* in febribus vel *critico* tempore vel *extra* criticum typum succedere. Quæ ultima evacuatio *Menstrua* in febribus minime cum *critica* indole conveniens, suspecta est & aliena, tanto magis vero talis, si neque recursio *menstrua* huic tempori conveniat: cuius suspectæ indolis veritatem experientia hodierna diversis exemplis comprobare novit.

Ter-



§. XIII.

Tertia Species *Critica Hemorrhagia* est, quando sanguis ex intestino recto per *Hemorrhoides* præcipue *internas* critico die notabili quantitate & cum multo levamine evacuatur: & hæc species crileos non alia proinde quam *infrequens* est, quæ tamen non magis in experientia Medica antiqua magis, quam recentiori observata & ab iisdem authoribus passim commendata est; certiori vero cum *levamine* & salute talis Crisis per *internas* hæmorrhoides instructa est, quo *difficilior*, impeditior & laboriosior alias est fluxus hæmorrhoidalis per *externas* venas hæmorrhoidales suscitatus. Præter hæc species, non æque alias, & illas vel rarissimas vel non perfecte criticas allegare placet, quales passim, sed æque sub rariorum eventuum descriptione ab authoribus proferuntur, & ex iisdem *Mictus sanguinis* criticus citatur, cuius mentionem facit *Ferdinandus in Consiliis*; *secessus sanguinolentus* in *A. N. C. hæmorrhagia ex gingivis*, ex pulmonibus *hæmoptysis*, ex Poro radice pollicis pedis, ex superficie corporis per *Sudorem Sanguineum*, in *variolis ex pustulis*, ex *disruptis venulis raninis*, quarum *Forestus in observationibus*, *Christoph. a Vega in comment.*, *Zac. Lusit. in Praxi admir.* *Schenkius in obs. med. de Variolis & febribus.* *Piso de cognoscendis febribus.* *Lotthichius in obs.* *Hildan: in observ. chirurg.* *A. N. C. Dec. 3. an. 5. obs. 67. 82.* *Funcken. in Prax. Med.* alique multi, quorum specialissimam mentionem injicere supervacaneum & superfluum erit, reminiscuntur.

§. XIV.

Ex quibus omnibus colligendum quod Natura *PRIMO* varias vias inveniatur, & sibi ipsi *seligat* in vera & perfecta tali Crisi, tantoque rectius & *exquisitius* vero illas, per quas facilius materiam noxiam & alienam expellere potest, quo minus enim *SECUNDO* viæ apte sunt ad ejusmodi excretionem, eo *difficilior* non modo est tota Crisis, sed quandoque *periculiosior*, unde *TERTIO* rarissime ad *ineptas* ejusmodi partes prolabitur, sed frequentius tales hæmorrhagias per vias familiariori usu & *æstimatione* sibi *propius* cognititas redditas

tas



tas, neque intricatas aut aliis impeditioribus circumstantiis obseptas sed pervias & patulas administrat. *QUARTO* vero illas *occasione*, quæ tanto magis difficilem ejusmodi actum *difficiliorem* reddere possunt & solent *providè* evitat, nisi plane speciali *sensibilitate* & noticia cum ejusmodi occasionebus conveniat, adeoque *QUINTO* ejusmodi Crises per Hæmorrhagias eo maxime *tempore* & *ætatis periodo* infert, quo alias uberiores *occasione* recipit sanguinem *augendi*, *commovendi*, *evacuandi*; unde *SEXTO* tales evacuationes frequentius decernit, quæ *huic* periodo secundum commodiorem vitalem *proportionem* convenientiores sunt. *SEPTIMO* vero in alias vias *prolabitur*, quando a sua *prima* inventione *turbata*, & per diversa *incongrua* regimina & instrumenta ad *alia* loca provocata est, qua propter illæ *OCTAVO* Crises per *miraculosa* magis loca, quam alias naturæ familiarius *adsueta*, suspectæ & ut plurimum etiam *periculose* sunt, neque *NONO* propterea ipsam *Crisin* culpæ decet, aut *DECIMO* tales *turbatas* hæmorrhagias, quales passim apud auctores occurrunt, pro *veris* criticis supponere, quæ hucusque circa differentiam harum hæmorrhagiarum annotanda fuerunt.

§. XV.

Hæmorrhagiæ Criticæ priscis Medicis paulo magis *perspectæ* fuerunt & frequentius *obviæ* factæ quam recentioribus, illis præcipue, qui sub *calidioribus* Climatibus in Græciæ & Arabiæ locis artem medicam exercuerunt; quanquam hodie adhuc hi criticarum Hæmorrhagiarum eventus variant, secundum *Climatum* calidiorum, temperatorum & frigidiorum, indolem, unde in *calidis* ejusmodi regionibus non minus sub fervidiore solis irradiatione *vinosis* haud rarum est Crises tales per hæmorrhagias exeuntes apprehendere & advertere; alias vero in experientia attenta confirmata & edocta res est, quod in *septentrionalibus* locis hæ Crises ut in genere *rariores* sint, ita in specie per *Hæmorrhagias* exeuntes infrequentiores existant, adeo, ut a multis nunc quælibet *molimi-*

na



na hæmorrhagica in febrili *vigore* occurrentia, pro *sinistro* o-  
mine arripiantur, quia ex *insueta* occurſione indicium *inſoli-  
ti* exitus & quandoque *ſiniſtri* effectus conſtituunt. Sed lo-  
quimur hic de *veris*, *genuinis* & *ſpontaneis* Criticis Hæmor-  
rhagiis, cum omnino æque *abſolutè* rarum ſit *molimina* ma-  
gis hæmorrhagica ad *Criſin* vel *eminus* vel nullo modo reſpi-  
cientia inter noſtrates in Febribus attendere, quæ ultima, ne-  
dum *eccriticè*, ſed *acriticè* irruunt & ſuccedunt, adeoque  
communiter reliquum ejusdem febris *typum* confundunt &  
invertunt; alias quidem inter veteres parili frequentia, ſed  
multoties majori ſalubritate veræ Criticæ Hæmorrhagiæ in di-  
verſis februm ſpeciebus ſucceſſerunt, ubi inter noſtrates com-  
muniter ſalutaris hæmorrhagia critica in *una* ſolum, illaque  
admodum *rara* februm ſpecie *perfectè* occurrit. Qua pro-  
pter duplici ratione hæc *infrequentia* apud nos eluceſcit,  
*PRIMO*, quia non niſi *uni* ſpeciei febris abſolutè *essentialiter*  
competit, *SECUNDO* quia hæc ſpecies *per ſe* in noſtris lo-  
cis rarior eſt, quo *TERTIO* pertinet, quod ex hoc ge-  
nerali criſium infrequentia illa ſpecialis criticarum hæmor-  
rhagarum *neglectio* paſſim invaluerit, ut *QUARTO* non  
ſemper *natura* abſolute ea propter culpari queat, quod mor-  
bum non frequentius criticè definiat, ſed quandoque & qui-  
dem non raro miniſtro naturæ objurgandum ſit, quod *motus*  
naturæ ad *Criſin* tendentes & reſpicientes non attentius ap-  
prehendat, iisdemque qua decet dexteritate miniſtret, pro-  
ſpiciat & invigilet.

§. XVI.

Ex omnibus februm ſpeciebus Hæmorrhagia critica  
non niſi *uni* diſtinctæ & ſpecialiſſimæ febrī *essentialis* & vel-  
ut *propria* eſt, huic nimirum, quæ primario & *essentialiter*  
propter ſanguinem ſimpliciter quidem bonum ſed *abundan-  
tem* & cum abundantia ſua proximius ſenſibile nocumentum  
inferentem ſuſcitur, & per completam febrilem *periodum*  
criticis terminis circumſcriptam, definitur; ut itaque hæmor-  
rhagia nulla critica exquiſite ſic dicta in *Ephmera*, quæ proin-

C

de



de non raro propter sanguinis exundantem copiam instituitur, & quæ non critica periodo proprie & legitime determinata est, occurrat; Sed illa magis *eccritica* i.e. extra veram Crisin, attamen simultaneo actu & salutari solutione deducta & celebrata: illa vero, quam nos advertimus est febris dicta antiquis *Synocha* sive *continens* paulo propioribus *Sanguinea* simplex & non putrida, i. e. quæ cum acuta continua, aut biliosa, aut alia inflammatione essentialiter nihil participat, sed simpliciter adversus sanguinem *abundantem* in crasi sua laudabilem, fluxilem, floridum & purum suscepta est; interim non desunt multiplices talium hæmorrhagarum criticarum eventus in aliis etiam febrium *speciebus*, quibus vero non perfecte *essentiales* sunt, i.e. ex quarum propria *indole* directe & essentialiter non prosuunt, sed subalterno instituto, eoque magis *vicario* accidenti febris i.e. *plethora* præsentitur, quo hac sublata, reliqua *dyscrasia* aut qualiscunque *necessitas* commodius subigi & illa veteribus præcipue putrida dicta indoles corrigi queat, adeoque hoc incommodo & noxio accidente remoto, reliqua resolutio, absterlio, secretio & excretio placidius, constantius & efficacius succedat. Hinc tales hæmorrhagiæ criticæ in *Synocha* putrida, Inflammatoria, Continua, Ardente, Petechiali, Variolis, aliisque obviæ deprehenduntur, præcipue in experientia Præcorum, quales ex aliis *narium* criticas hæmorrhagias in eiusmodi febribus obviæ & salutare annotarunt *Lælius a Font*, *Valleriola*, *Forestus*, *Gerbezus* in *A. N. C. dec. 3. an. 1. obs. 13*. *Blegny* *Zod. Med. gallic. an. 4. obs. 30.* aliique, ex quibus minime negligere debemus *Hippocratem* nostrum qui in *Coacis Prænot. text.* 207. dicit, quod febres ardentes ut plurimum sanguinis profusio iudicentur; quemadmodum ille in *lib. 1. Epidem. stat. 3.* dicit, quod multi perierint præcipue ex adolescentibus, qui sanguinem in hisce ardentibus non profuderunt: ubi tamen monendum, quod putridæ ita dictæ febres nullo modo simpliciter & essentialiter critica tali hæmorrhagia percurrentur, sed præstat ut successiva convenienti *Diapnoe*, imo tempe-



perata Diaphoresi demum exacte absolvantur, ni hæticæ & lentæ febres aut alii morbi chronici, Lenti, & tota sua indole periculosi insequi debeant.

§. XVII.

Iusta hæmorrhagia Critica exquisitè critico die succedit, tanto magis vero hoc, quo magis *ordinatum & proportionatum* rerum suarum gerendarum successum eo ipso testatur natura, unde vel prima periodo & septimo die sequitur, annotante *Hippocrate lib. 1. prognost. aph. 28. Fit autem his sanguinis eruptio ex naribus in primo Circuitu & valde iuvat*: vel secunda periodo & exquisitè 14. die succedit, sed paulo rarius, docente ut experientia, ita ex illa *Christoph. a Vega in Commentario aph. 28. prædicti libr. 1. prognost.* Cuiusmodi criticam narium hæmorrhagiam decimo quarto die peractam recensent supra citati auctores & quidem speciatim *Lelius a Font. Consultat. 5.* qua præcipue decimo quarto die repetitam, septimo vero factam & introductam notabili exemplo communicat, conferatur *Forestus libr. 2. obs. 8. Valeriolæ observ. med. lib. 4. obs. 8. Schenckius lib. 6. de continente febre obs. 5.* & quæ mihi *Præsidi* adhuc in sensibili memoria observatur observatio *Hæmorrhagiæ* narium per singulos septenarios die exquisitè critico recurrentis in patiente *tertiana quotidiana duplici* afflicto, quæ cum sensibili Euphoria calorem præter solitum majorem, capitis dolorem & oppletivam illam inquietudinem mitigavit. Conferatur similis eventus *hæmorrhagiæ* in febre continua duplici tertiana per alvum exeuntis, undecimo morbi die, a deoque indicatorio *secundi* septenarii, in *A. N. C. Dec. 3. an. 3. obs. 34. Lanzoni.* Adeoque vera critica hæmorrhagia iustum criticum tempus servat, quemadmodum altera *ecritica* extra criticum decretorium diem occurrans, tamen indicatorio die tempestive formata hæmorrhagia perinde sublevari, modo criseos indolem respiciat, neque plane *acriticè* deducatur: unde hæmorrhagiæ vel a critica *inventione* turbatæ vel per se ad crisin nullo modo collineantes, *periculose* sunt; quodsi vero neque sufficiens hoc



indicatorio die successerit, hæmorrhagia, iterum periculo plenum est negotium annotante *Hippocrate lib. 1. Epidem. statu 3. quod quibus quarto vel quinto die è naribus parum stillaverit sanguinis, ii mortem obierint.* Rarius hæ hæmorrhagiæ in tertium septenarium transferuntur, sed communiter intra primam & secundam periodum definiuntur: commodiores & exquisitiores itaque dies pro tali hæmorrhagia critica exsolvenda fuerunt *septimus* aut *decimus quartus*, & qui eminus ad criticam indolem respiciunt, *quartus, quintus, undecimus*, non æque sextus, ut tyrannicus, aut nonus, alias in febribus præcipitis exitus suspectus.

§. XVIII.

Occurrit insuper *Critica Hemorrhagia* nonnunquam in febribus aliis vel positive acutis vel ad acutam indolem proxime transientibus & inclinantibus, & quidem in aptis subjectis tempore justo & legitimo adornata, cum magna sublevatione; unde notanter *Hippocrates in modo citato Textu dicit: quod qui in febribus ardentibus sanguinem bene & largiter e naribus profudissent, ii vel ex eo maxime servati, visi sint*, notanter inquam, & distincte dicit, ex eo *μάλις σωζέσθαι* maxime salvati, sed non *unice & absolute* liberati sint, unde hæc tempestiva & iusta hæmorrhagia primum illud maxime obstaculum removet, quod naturam in legitimo suo & huic febrim per essentialiam necessario actu detinuit, aut molestius affecit, quo remoto, reliquam febrim, facilius & commodius deducere omnino potuit. Est vero hoc maxime obstaculum *Plethora* ejusque *turgescencia*, quæ tanto magis subjectis in calidioribus locis versantibus familiaris est, propter quam ut molestam & naturæ ponderosam ac importunam in tam veloci & vegeto actu reliqua essentialiter necessaria secretio & excretio materiæ morbificæ facile promoveri & absolvi non potuit, unde tales Hæmorrhagiæ Criticæ in aliis febribus, quam *Synocha* est simplex, non occurrant, nisi in ægotante sensibilibus abundantia sanguinis ejusque commotio aut vel leviter abundantis spumescens ebullitio subsit, unde passim *Hippocrates* talia subjecta spe-



specialius recenset, quæ ad comparandam Plethoram principalis apta sunt & habilia, & ex iisdem *adolescentes & ætate florentes* allegat partim in *LIBR. prænotionum*, partim in *Libr. Epidem.* quo præcipue pertinet *aph. 29. Prognost. libr. I.* & satis commendanda huius aphorismi explicatio a *Christoph. a Vega* tradita, cum e contra *adultioribus* tam propria, præsentanea & præcipue exturgescens: i. e. ad diffusiores & frequentiores *evacuationes* respiciens Plethora æque non superfit; sed de *iunioribus* abunde constet, quod non tam sanguinis copiam indies affatim cumulent, sed quod iidem longe activius ad *ventilandum* plethoram properent, abeantque, quo illa *voluntariè* inducta sanguinis commotio multum contribuit, tanquam causa accidentalit *iunioribus* frequentior quam adultioribus; Unde colligendum, quod talis critica hæmorrhagia in aliis febribus hanc præcipue sanguinis abundantiam s. spumescentem inturgescentiam respiciat & prosequatur, adeoque in aliis febribus sub hisce conditionibus non modo *utilis*, sed si plethora urgeat *necessaria* sit, modo etiam *tempestivè* eandem exequatur natura.

§. XIX.

Adeoque præ aliis eiusmodi Hæmorrhagiis subiecti sunt, *Sanguinei* temperamenti homines, qui magis *plethoram* foveant, quam laboriosi cholericici, sint vero insuper *activi* & ad actum febrilem ut laboriosum, vegetum & non raro difficilem, *faciles & prompti*, non vero timidi & segnes, sed uti dicunt *resoluti*, siquidem simpliciter sanguinei temperamenti subiecta non ita facile febricitant, neque Sanguineo - Melancholici, aut sanguineo-phlegmatici, sed requiruntur ad nostrum negotium præcipue *Sanguineo-Cholericici* temperamenti individua, aut vicissim *cholericici sanguinei* convenienti gradu de hisce temperamentis invicem participantis. Deinde eiusmodi hæmorrhagiæ non promiscue quaslibet *ætates* corripunt, sed præcipue in *iuniores* incidunt, neque iisdem in *prima* juventute constitutis, ut in puerili ætate, cum in hac, hæmorrhagiæ alias liberè per se succedant, neque tali adminiculo indigeant; nec prima *adolescencia* iisdem subiacet, cum neque hæc in ge-





nere ad febres usitatus *facilis* sit, sed spontanea hac evacuatione, eiusque consueto successu gaudeat; itaque familiarius *iuvenilis* ætas huc magis disposita est, quam *Hippocrates* descripsit & annotavit a *vigesimo* anno ad *trigesimum*; neque adultiorum aut adultam *virilem*, multo minus *senilem* ætatem occupant, quemadmodum senes nullo modo proprie ad *spontaneas* tales hæmorrhagias inclinent, ne dum alibi *febrilibus* commotionibus exerceantur; alias quidem in aliis, quam *Synocha*, febribus, ut in *ardentibus*, præcipue tales Hæmorrhagiæ in *adultam* etiam iuventutem incidunt, & si per *Hæmorrhoides* Crises illa absolvenda iudicatur in *primam* virilem & *ultimam* iuvenilem ætatem se diffundunt; quæ vero Hæmorrhagiæ Criticæ ultra hæc tempora progrediuntur, quanquam tales omnino rarissimæ sint in experientia medica, non nisi *incipitis* eventus & suspectæ sunt,

§. XX.

Secundum illam *distinctam* Criticarum Hæmorrhagarum frequentiam, qua narium hæmorrhagiæ criticæ supra a nobis frequentiores æstimatæ sunt, subinde hæ Hæmorrhagiæ Criticæ communius illis subiectis *solenniores* sunt, quibus alias narium hæmorrhagiæ *familiariores* exstiterunt, cum *sequioris* sexus subiecta, alia, magis suo sexui propria evacuatione ventilentur, unde; secundum communem collectionem personarum maior numerus eveniet illorum *masculorum* qui alias narium hæmorrhagia affecti sunt, quam *femellarum*; ea propter Crises per *Hæmorrhagias* narium masculis familiariores sunt, cum e contra *femellis* sub prædictis circumstantiis habitus, ætatis &c. constitutis Hæmorrhagiæ criticæ per *Menstrua* exeuntes *propiores* sint, quam e naribus erumpentes & succedentes; in quo etiam negotio deprehenditur peculiaris quædam *æstimatio*, actus, cui paulo magis *adversata* est natura in illo individuo, cum quo actu, ut aduerso, ita etiam *facilius* & *promptius* administrando, talem hæmorrhagiam fuscitat & persolvit; & placet hoc nomine allegare notabilem plane & ad nostrum negotium exquisite quadrantem casum, qui



quæ D. Præfidi ad amissum constat: Virgo XXI. annorum,,  
sanguineo cholericæ à decimo ætatis suæ anno largiores &,,  
frequentiores harum hæmorrhagias experiebatur, decimo o-,,  
ctavo vero demum anno in largiorem menstruum fluxum,,  
transeuntes, hæc cum passim aliunde remediis modo adstrin-,,  
gentibus propter largiorem hunc fluxum, modo iterum bezo-,,  
ardicis & Spiritus reparantibus onerata, tandem utriusq; flu-,,  
xus insignes turbas & anomalias perpeffa, incidit demum media,,  
in æstate in inflammatoriam febrem, in qua non tantum regimi-,,  
ne calido, sed & similibus remediis obruta erat, donec sex-,,  
to die sub exacerbatione omnium symptomatum & gravi an-,,  
xietate, maxime vero vehementi in abdomine ardore & ex-,,  
terna sensibili horripilatione circa regionem hypochondrio-,,  
rum discurrente, impetuofus fluxus menstruus eruperit, cum,,  
enormi virium jactura, ut nono die sub vegetis convulsioni-,,  
bus e vivis discesserit, nihil cessante, illo menstruo fluxu, sed  
per integrum diem post mortem continuante.

§. XXI.

Juvat præterea successum iustum Hæmorrhagarum cri-  
ticarum natura certis cum *apparatibus & motibus*, præcipue  
ad hoc negotium *necessariis*, quos exquisitè ad hæc tempora  
Critica restringit, eosdemque, si Hæmorrhagia talis *quarto* die  
decernatur, præcurrente *tertio*, si vero *septimo* die intendatur,  
*sexto* exercet & modificat; unde colligendum, quam *accuratè*  
& sollicitè natura talem prosequatur actum, in quo non turbu-  
lenti invectionibus, sed maxime *proportionatis* motuum in-  
formationibus progreditur: quo magis itaque *ordinatè* hoc ne-  
gotium succedit, eo major spes subest *facilioris & melioris* exe-  
cutionis atque eventus: quo *turbulenti*us vero econtra *vehe-*  
*mentius* ac *impetuofus* hic actus urgetur, sine ordinata admi-  
nistratione & subordinatione motuum, eo *periculosius* decur-  
rit & exit totum negotium: unde omnis confusio & tumultuosa  
motuum prosecutio certissimum *incipitis* & ut pluri-  
mum *funesti* exitus præbet phænomenon. Sunt vero *signa*  
Criticam talem Hæmorrhagiam indicantia duplicis respectus,  
quæ-



quædam magis *communis* & *remotiora* i. e. elonginquo communioribus motibus hæmorrhagiam criticam profequentia, quædam vero *propria* & *proxima*, i. e. magis *directe* evacuationem talem respicientia, quæ singula seorsim jam considerabimus.

§. XXII.

Cum itaque ex omnibus Hæmorrhagiis Criticis *narium hæmorrhagia* principalior sit, imo *Hæmorrhagie* notio antiquis *ναρ ἑξοχὴ* pro evacuatione sanguinis per *nares* assumatur & edoceatur, testibus *Hippocrate* & *Galeno de morb. vulg.* ita placet nunc hujus Criseos *apparatus* tam *communiores* quam *proprios* indicare. Ex *communioribus* vero illi prodeunt, qui ex genio actus *primarii* sc. febris magis eveniunt, & sunt I) *Pulsus* augmentum peculiare, tam in *fortitudine* quam *magnitudine*, perseverante reliqua *frequentia* & *celeritate*, unde patientes ante decretorium & proxime circa illum diem cum majori inquietudine æstuant & *oppletivo* illo anxio sensu una laborant, qui æstus vero communiter magis aridus & siccus est, & tanto magis molestus, siquidem patientes non tantum externis, sed una internis solito magis æstuant, inde II) majori cum *anxietate* decumbunt, tanto magis vero cum citatiori & angustiori *respiratione* non quidem profunda aut magna, sed *brevi*, *frequenti* & *angusta*, quo III) *moralis* anxietas concurrit, hisce *temporibus* & horis auctior, ut ipso externo aspectu ex *vultu* patientes angustiores compareant; propterea ad quodvis *colloquium* impatientes sunt & solitudinem ac taciturnitatem amant, strepitum vero externum anxie averfantur. IV.) *Alvus* communiter magis *stricta* & clausa est, quam fluxilis aut ordinarie succedens, sicuti in hoc negotio alvi commotiones ab hac contentione & critica specie distinguit *Hippocrates lib. 1. Epidem. sect. 2. hist. 3.* quas *provehentioribus*, utpote quibus hæc fluxio sanguinis non *familiaris*, usitatas esse indicat: sub hac vero alvi occlusionem *interne* in abdomine majorem etiam æstum experiuntur & anxietatem ad *superiora* magis transeuntem persentis-



tiscunt. V. *Urina* licet satis tincta sit, nullam tamen exquisitam *coctionis*, vel illam admodum paucam præsentiam indicat, unde neque solenius *sedimentum* spissum aut mucidum deponit, sed manet ut plurimum *diaphana*, levissimè quidem consistentior, sed nihil æque post refrigerium *turbata*; quodsi vero in *alia* quam Synocha febre, tanto magis vero in *ardente*, hæmorrhagia talis critica instet, *urina sexto die* ante criticum paulo magis conspicuum sedimentum deiicit, testante ut experientia, ita præcipue ex aliis *Foresto*. VI. *Vires* magis dissipatæ veluti ab adstantibus advertuntur, patientes vero in externo suo habitu maiorem *lassitudinem* & *impotentiam* persentiscunt; VII.) *Vigilie* præter solitum intensæ deprehenduntur & VIII.) *Caput* sensibilius dolet IX.) vero *inferiores* corporis partes paulo magis *strictæ* sunt, atque X.) ad levem auræ admissionem *horridula* XI.) *Fauces* magis *aride* sunt, lingua aspera, saliva paucissima, aut non nisi in sua paucitate spissior, & ex faucibus sensibilis æstuant patientes tales, ac denique XII.) reliqua totius corporis *sensibilitas* exquisitor, intensior & activior est.

§. XXIII.

Qui vero apparatus *proprie* huic Hæmorrhagiæ debentur, illos jam suo tempore exquisite prædicto loco annotavit laudatus HIPPOCRATES & ex illa *experientia* & *historia* annotandi & in aliquem ordinem redigendi sunt; præcipue vero circa *imminentes* dies decretorios patientes experiuntur I.) in *hypochondriis*, præcipue vero dextro latere, *tensivum* & *distensivum* non minus etiam *pressorium* sensum, non æque valde dolorificum, interim notabilem & expressum, ex quo in *respiratione* angustiores evadunt, & citius ac frequentius respirare coguntur, id quod præ aliis recte annotavit Laurentius de *Crisibus* quæ pressio vero & sensibilitas *transitoria* est, docente partim experientia, partim eodem autore & *Fererio* & *Sehizio*. II.) dolent patientes longe sensibilis *capite*, acuto, lancinatorio & distensorio dolore, III.) *turgent* etiam capite, præcipue *facie*, tanto magis



verò *genis*, quibus partibus IV.) magis *rubent* & intenso rubore sub illo turgidulo statu florent & V.) capite magis *astuant* & intrinsecus etiam ardent: VI.) tument & insigniter *inflatae sunt venae*, tam temporum, quam praecipue per oculos discurrentes florido rubore conspicuae, praeterea VII.) *arteriae* valde *pulsant* praecipue in capite, quae pulsatio externo aspectu & attentione deprehenditur, tanto magis a patiente indicatur, & quae non tantum *molesta* est, sed VIII.) etiam *indolens*, ita ut sub quacunque vegeta tali pulsatione *lancinatorium* illum acutum in capitis *interiora* etiam transeuntem dolorem experiantur, quo conferendus *textus* 142. *Coac. Praenot.* quos *febris detinet cum faciei rubore & capitis vehementi dolore, in iis si venae pulsent, sanguinis fluxus plerumque expectandus.* IX.) Quandoquidem in & circa *collum* & *cervicem* molestias experiantur, *tensorias*, *strictorias*, nonnunquam vero X.) in *faucibus* leves *anginodeas* magis quam *prunellodeas* inflammationes suspiciunt, sitis molestas & in sua indole etiam periculosas, cum faucium *rubore*, *tumore* & *dolore* lancinante, cum difficultate & conatu *deglutiendi*, sub cuius omnino periculosioris status augmento XI.) patientes in *deliria* aut affectus *soporosos* aut periculum *strangulationis* incidunt, quanquam alias quandoquidem XII.) levissimas mentis *alienationes* experiantur, quibus de *ignitis*, *ardentibus*, *flammeis*, *splendescentibus* aut *rufescentibus*, *rubicundis* substantiis & circumstantiis fabulantur, ut juvenis ille *Galen*i, qui cum rubro serpente rem gereret. XIII.) eminet ex oculis aegrotantium distincta *activitas* & *mobilitas* cum peculiari sensibilitate conjuncta, in qua omnem irradientem lucem adversantur & tenebricosas magis obscuraciones efflagitant, quin imo XIV.) specialius *ante oculos miculas* aliquas varii coloris obversantes conspiciunt, quas cum molestia quadam abigere iterato allaborant, ad omnem vero sensibiliores luminis & radiorum subtilium luminosorum XV.) occursionem, intolerabiles sunt & impatientes, indeque XVI.) *involuntariis lacrymarum profusiones* experiantur, XVII.) nonnunquam



quam in oculis pressorius & interlancinatorius sensus deprehenditur. XVIII.) Nonnunquam aures sensibilibus tinnunt, aut levi quadam XIX.) surditate obruuntur, de qua Hippocrat. Sect. IV. aph. 60. & in Coac. Prenot. text. 210. dicit quod sanguinis profluvio tollatur; quodsi vero talis hæmorrhagia jam proximus instat, in naribus præcipue XX.) tizillatorium sensum suscipiunt, pro quo moderando & demulcendo vel internè nares fricando vel externe movendo & radendo subsidium quærunt, donec XXI.) illa hæmorrhagia affatim effluat, & illud huc contingat, quod Hippocrates, & Celsus jam elocuti sunt, quod nihil paucum sit criticum, unde sanguis XXII.) larga mensura & diutius effluit, ita ut pluribus libris emensurari queat, (nihil præjudicante levi quadam virium jactura, quanquam etiam quatuor sanguinis libræ criticè evacuari queant, sine virium jactura annotante Valesco de Taranta in Method. Med.) prætereaque rubicundus & floridus XXIII.) in quibusdam etiam externe ante hanc profusionem nares solito magis rubent & veluti pruriunt, quarum etiam circumstantiarum jam suo tempore Hippocrates in lib. Epidem. memoriam injicit XXIV.) multoties ante hæmorrhagiam talem oculi præter prædictam sensibilitatem admodum splendent, quem splendorem, vulgus glâserne Augen appellat, nonnunquam XXV.) ægrotantes in pectoris regione stridentiam aliquam & tractionem persentiunt, ob quam respiratio perinde difficilior succedit & inde patientes anxie magis decumbunt. XXVI. Nonnunquam quarto die guttulæ aliquot sanguinis erumpunt, sine subsequente fluxu, donec demum septimo illa completa narium hæmorrhagia insequatur. XXVII.) Menses nonnunquam criticè quarto die eructant & usque in septimum sub perpetuo fluxu continuant, nonnunquam demum septimo die prodeunt. Et tali etiam ordine Hæmorrhoides: & hæc sunt principaliora signa ejusmodi hæmorrhagias præcurrentia, iisdemque magis propria.

§. XXIV.

De statu specialiori ægrotantium, quoad animi vigorem



rem & constantiam & animalium ita dictorum motuum conditionem *ante & post* Crisin existentem pro meliori hujus negotii illustratione pauca adhuc proferre placet; & ita proxime *ante* Crisin ægrotantes communius magis *taciturnitati* student & solitudinem amant, omnem vero *turbationem* & colloquium averfantur, imo omnes compellationes *ægrius* excipiunt, unde ne quidem adstantes & spectatores *liberè* admittunt, sed vel ab iisdem vultum avertunt, vel eosdem precibus aut dominiis dimittunt; neque ullam *turbationem* inferant, sed quieti sint, aut plane discedant, adhortantur: nihil insigniter *conqueruntur*, sed taciturni magis decumbunt, nullo desiderio vel *appetitu* sese produnt, sed præter solitum abstinunt, interim ipso animo *pensu* abundi & tacita anxietate oppressi conspiciuntur, *viribus* vero magis languent & immoderatius vix sese iectigant ac paulo quietiores sunt, ita ut adstantes nonnunquam ex hac mutatione instantem mortem, sed multoties falso, præfagiant: tanto magis vero *ante* Crisin *vigiles* sunt patientes, & sensibili *Agrypnia* præditi, ita ut sub iisdem vigiliis vel levissimum strepitum sensibiliter advertant, ægre ferant & paucis verbis, sed emphatice fastidiente animo exprobrent; ex *vultu* vix erectus animus, sed magna sollicitudine obrutus & *anxia* quadam cura detentus deprehenditur; insuper etiam omnem *cibum* morose averfantur, illoque proxime criticum præcedente die parcius vel plane non *potum* efflagitant; (nisi ardente vel alia inflammatoria, febre laborent) cum antea frequentius eundem sollicitaverint: & tales sunt *ante* crisin, unde recte *Hippocrates dixit sect. 2. aph. 13. Quibus Crisis fit, his nox gravis ante accessionem, que vero sequitur, plerumque levior esse solet.* Hinc *post* Crisin talem feliciter peractam, toto animo quasi *regeneriti* comparent, & activiores, moderatiores, tractabiliores, erectiores, constantiores & præsentiores sunt, admittunt colloquia, *gaudent*, quod ex *luctu* hac evaserint, & intima hilaritate, tranquillitate & gaudio suffusi ac pleni sunt, præterea liberalius *respirant*, anxietatem a præcordiis quasi translata ponderosâ mole evan-



nuisse consentur, toto suo corpore *leviores*, faciliores & promptiores sese denuntiant & offerunt, *appetunt* cibum, *somno* sunt proximiores, dormiunt iterum cum multo levamine, adeo ut hic status ab altero plane discrepet: tanto melioris vero præsagii est si *ante Crisin* monente *Hippocrate lib. 3. prænot. aph. 8.* patientes facile *spirent* sine dolore agant, noctuque *dormiant*.

§. XXV.

Præter hanc Narium criticam Hæmorrhagiam, quam feliciter finitam proprie cessatio doloris capitis, ejusque allevatio, liberior respiratio & præter ante citata omnium virium successiva quasi collectio, præcipue vero animi integritas, sequuntur, placet adhuc brevibus *propria* signa & apparatus Crisin per *Menstrua* & *Hæmorrhoides* exeuntem stipantia annotare: in hisce moliminibus itaque ad Crisin abeuntibus partes *superiores* non ita anguntur, neque caput tam *acuto* dolore vexatur, sed abdomen huic præcipue *scenæ* locum suppetitat, unde patientes in *hypochondriis* præcipue vero in dextro latere & *lumbis* molestiam *pressoriam*, strictoriam, tensoriam, distensoriam, æstuantem, imo ardentem experiuntur, & scemellis quidem hic ardor ac strictoria satisq; sensibilis compressio in *inguina* & pectinis regionem progreditur, sub notabili *ardoris* sensu in *genitalibus* perceptibili cum multa anxietate præcipue in abdomine & sub *Diaphragmate* sensibili, una cum *respiratione* anxia & laboriosa: præterea in *dorso*, circa os *coccygis* eundem acerbiorum sensum strictorium indigitant & exprimunt: non minus molimina critica ad *Hæmorrhoides* abeuntia hunc in *hypochondriis* sensum inferunt, una cum ardentibus *tenesmis* & *intestinorum* stricturis, nec non *pruritu* indolente in *ano* per sensibili ac *inflatione* venularum in *ano*, donec tandem Hæmorrhoides aperiantur & sanguis in magna copia effluat: quæ utræque vero species, ut superius a nobis monitum, æq; raro inter nostrates occurrerunt & adhuc occurrere solent, unde in harum explicatione diffusi-



us progredi non placet. Interim & horum apparatusum ex aliis  
*Forestus lib. 1. obs. 2. & 1. 2. obs. 22. in scholio mentionem facit.*

§. XXVI.

Tradita hucusque *Historia* medica criticarum Hæmorrhagiarum, licebit adhuc quædam monere de illis hæmorrhagiis, quæ vel non exquise ad *criticam* indolem pertinent, vel quæ cum eadem quantisper *conveniunt*, attamen non ex *libero* arbitrio naturæ profluunt, sed ad quas aliunde *concitata* est natura, licet proprie illas spontaneo consilio non decreverit: Primum quanquam directe ad nostrum scopum non faciat, attamen eo inservit, ut genuinæ criticæ hæmorrhagiæ tanto magis distingui queant ab aliis minus feliciter ex-  
 untibus, hinc illa repetimus hoc loco, quæ paucis verbis supra cominendavimus, nempe quod Hæmorrhagiæ tales nonnunquam *concitentur* vel per *regimina* vel per *artem* propriè sic dictam. *Regimine* hoc fit, si patientes in qualicunque, præcipue acuta febre constituti, de reliquo sanguinis copia turbidi ad multiplices ad largos *sudores* anguntur, & impelluntur externis præcipue adminiculis, quandoquidem spissioribus stragulis moleste onerantur & involvuntur, aut externo immoderato calore insuper obruuntur, ut corpus partim sub onerosis stragulis vehementer æstuet, partim & præcipue caput calori adventitio expositum inde etiam magis ardeat & sanguine largius oppleatur: tanto magis vero si per *initia* statim alicujus febris immoderato tali regimine onerentur, & angantur: eodem modo concurrunt ad concitandas ejusmodi anomalas Hæmorrhagias immoderatiores *refrigerationes*, quibus excretio per *peripheriam* corporis sufflaminatur, ut inde natura ad aliam excretionis speciem *turbetur* & *perperam* concitetur, tanto facilius vero hoc contingit, si sub æstu *inferiora* corporis, præcipue pedes aut femora sensibilibus *refrigerentur*, ut ob hanc strictionem harum partium humores ad *superiora* magis propellantur, sub quo impulsu natura plane aliam & huic febre *directè* minime convenientem excretionis speciem prosequitur, nullo persæpe respectu ad justam  
 men-



*mensuram* iustum *tempus* & iustum *ordinem*, in qua *propor-*  
tione tunc abludit natura, quo minus tales motus & tales in-  
ventiones ex *libero* arbitrio proveniunt, sed ad quæ molimi-  
na sub prædicti regiminis circumstantiis *coacta* est & impul-  
sa natura.

§. XXVII.

Per *Artem* vero ejusmodi Hæmorrhagiæ concitantur,  
quando vel per *initia* febrium prædictarum, vel ultro in *suc-*  
*cessu* remedia *calida*, *acria*, *camphorata*, *volatilia*, *alexi-*  
*pharmaca*, *bezoardica*, *cardiaca*, *alexica* *cardiaca*, & *subti-*  
*lia* largo apparatu offeruntur & injunguntur, unde tanto ve-  
hementius patientes æstuant, parcius vero ex hoc nudo im-  
moderatori impulsu sudant, vel sicco & arido, illoque anxio  
& molesto æstu decumbunt, ut denique eruptio talis intempe-  
stiva & maxime inconveniens insequatur, ex qua nullo modo  
ægotantes sublevantur, sed magis enervantur & in fonticas  
ejusdem typi febrilis anomalias conjiciuntur: pari eventu,  
quandoque ex inconvenienti usu *refrigerantium* & æstum  
reprimentium remedium Hæmorrhagiæ ejusmodi exoritur,  
quarum passim & attenta *experientia* & *authores* exem-  
plaria communicant & specificant, quæ nullo modo ad veram  
indolem criticarum hæmorrhagarum pertinent.

§. XXVIII.

Fere eodem *anctipiti* exitu persæpe prodeunt illæ Hæ-  
morrhagiæ, quæ cum *criticis* respectibus paulo magis *conve-*  
*niunt*, quando post præmissam aliquam *Vena Sectionem*, tan-  
to magis vero *inordinatam*, natura in primario suo secretionis  
& excretionis periphericæ & diureticæ actu confunditur & ab  
illo seducitur & avertitur, unde multoties *dimittit* illam inven-  
tionem & methodum per prædictas secretiones & excretiones  
eidem febris speciei magis convenientes succurrendi, & hanc  
oblatam methodum arripit & prosequitur, adeoque eo tem-  
pore quo sub maximo *vigore* & activitate febrem hanc defini-  
re contendit natura, ejusmodi excretiones sanguineas *suis*  
ausibus inquirat & molitur, nec non circa critica tempora sub mul-



multis commotionibus, congestionibus & translationibus sanguinis, ex *superioribus* nonnunquam sanguinem effundit, aut hanc effusionem *eminus* quidem urget & *molitur*, sed vix *perfecte* exequitur, ut in aliis partibus nudæ *congestiones* vigent, quæ quandoque in *inflammationes anginodes* aut *phrenitides* exeunt, multisque vitalium & moralium motuum anomaliis stipantur ac multo infarctu, anxietate, ardore & delirio excurrunt; sed quæ perinde vel Hæmorrhagiæ vel molimina hæmorrhagica multoties sinistrè & funeste succedunt exeuntque: quanquam *tempestiva* & *conveniens* Venæ Sectio in commodis febribus alioquin *criticam* talem hæmorrhagiam sublevet & facilioret.

§. XXIX.

Ex hisce itaque hucusque in *Historia* prolatis colligendum & in *Prognosi* agnoscendum, quod *liberiores* & *spontaneæ* Hæmorrhagiæ Criticæ exquisitius criticum typum servant & ex libero naturæ arbitrio ceteris justis circumstantiis respondentes, omnino *salutares* sint, tanto magis vero illæ, quæ iuste *plethoram* vel simpliciter *noxiā* concernunt, vel illam, quæ reliquis secretoriis & excretoriis ut & discussoriis actibus *impedimento* & *offendiculo* est, respiciunt; quæ utræque hæmorrhagiæ sufficientes sint & *confulcius largiores* quam pauciores, quia natura humana communiter in crisis suis non *paucis* est contenta, sed in fontico tali actu *magnifica* aliqua excretionē sese liberare conatur, unde perfecta illa exoneratio prædictis circumstantiis exquisite adornata non alia quam *salutaris* est; cum econtra diffusiora *molimina* *eminus* tantum ad exitum talem respicientia & in nudis *contentionibus* subsistentia, *suspecta* sint, quemadmodum ex ejusmodi moliminibus fontica & periculosa pathemata exoriuntur, ut ancipites *inflammationes*, anomaliæ *suppurationes* ac ominosa & furiosa *deliria* de quibus *Hippocrates* in *Coac. prænot. text. 131.* dicit: *Sub aurium tinnitu & visus habetudine quando hæmorrhagia non succedit, deliria furiosa exoriuntur*: sicuti alias *furditates* difficiliorem exitum Hæmorrhagarum narium *criticarum* indicant; aut alibi licet

dis-





*difficilius* ex hoc præsentaneo periculo *eluctante* natura, *he-*  
*ctica* periculosa insequuntur, quæ communiter non aliter  
quam funeste exeunt: tanto certius vero *feliciter* terminan-  
tur hæmorrhagiæ criticae, quando natura qualitercunque *mo-*  
*destioribus* motibus & apparatus easdem prosequitur, te-  
stante experientia & *Hippocrate* ex illa in prænot. quid  
quod optima est illa hæmorrhagia critica, quæ post *sufficien-*  
*tem* successum *tempestive* iterum remittit, neque ultra *pro-*  
*portionem*, *modulum* & *necessitatem* progreditur; ubi mo-  
nendum, quod una aut altera libra, etiamsi tres fuerint, se-  
cundum proportionem necessitatis, nondum excedentem,  
nimiam aut noxiam talem hæmorrhagiam constituent aut de-  
prædicent, sicuti alias authores & ex iisdem *Galenus*, *Val-*  
*leriola*, *Forestus*, *Zacutus Lusitanus* stupendas & ad-  
mirandas, attamen salutare tales criticas hæmorrhagias alle-  
gant, qui conferendi; unde iustas tales hæmorrhagias contra  
*Fernelii* opinionem prædictus *Zacutus Lusitanus* recte vindicavit. Quæ vero ad Hæmorrhagarum criticarum in aliis fe-  
bribus occurrentium *Prognosis* adhuc faciunt, illa ut brevitati  
studeamus, ne labor noster ultra propositum excrescat  
ex *Hippocratis Prognosticis* & *Coac. prænot.* petenda e-  
runt.

§. XXX.

Breviores etiam esse possumus in formanda *Theoria* Hæ-  
morrhagarum criticarum, quo magis simpliciter in prædi-  
ctis fundamentum earundem allegavimus, pro meliori vero  
connexionem placet in ordine quædam repetere quæ in *Patho-*  
*logia* consideratu utiliora & digniora sunt. Sunt vero Hæ-  
morrhagiæ criticae legitimæ *actus naturæ salutaris* ad imminu-  
endam *plethoram naturæ molestem* & corpori vel successive  
vel præsentanee noxiam; adeoque primo loco hoc officium  
*Naturæ morborum medicatrici* adscribimus, defungendum,  
quo officinam suam ab instante aliquo & fontico periculo præ-  
munire & conservare, aut ex præsentaneo illo periculo eripere

E

al-



allaborat; bono sane & laudando *consilio*, parilique *inventio-  
ne*, quam proportionatis motibus & convenientibus tempo-  
rum successibus administrat: Naturæ enim competit hic actus  
salutaris, qui non ex *efficacia morbi fortuito* contingit, neque  
proprie ex influxione *siderum* formaliter instruitur, sed qui  
iam decretus est, *antequam* suspectæ illæ aut prodigiosæ *con-  
stellationes* contingant, id quod apparet ex ipso multiplici ap-  
paratu ad talem hæmorrhagiam tendente, adeo ut non mo-  
do difficile, sed & irritum sit, hanc efficaciam *siderum* arcesse-  
re, antequam in propriam suam *constellationem* devenerit,  
cum tamen *ante* illum siderum concursum vel oppositionem  
apparatus critici *vegetè* vigeant: quanquam non negare veli-  
mus, quod eminentiores *constellationes* in criticum diem *in-  
cidentes*, citiorem & vegetiorem criseos *prosecutionem* in *sen-  
sibilioribus* subiectis promoveant, interim nullo modo ab hoc  
influxu crises *specificè* disponuntur, aut *informantur*; neque  
hæ hæmorrhagiæ ab efficacia *morbi* regulantur aut disponun-  
tur, sed est hic actus *directè* morbi efficacix *oppositus*, adeoque  
huic plethoræ imminuendæ & inde evenienti noxæ præoccu-  
pandæ dicatus: ita enim neque *acrimonia* biliosa exquisitè *na-  
res* & præcise *critico* die vellicat, cum huic suppositæ vellicati-  
oni totum corpus pateat, quæ tanto magis in Duodeno inte-  
stino succedere & vomitum cruentum inducere per necessi-  
tatem physicam deberet, quia illa biliosa saburra, ut in illo lo-  
co concentrata, ita etiam efficacior est, ad vellicandum & *se-  
ptica* arrosione extimulandum, qui tamen effectus & even-  
tus communiter contra experientiam est: neque in *Synocha*  
talis materia supponenda est, quæ *acris*, *caustica* sit & præcise  
nares stimulare debeat; in illa enim febre, quam nos *Syno-  
cham* non putridam dicimus, sanguis nullo modo *qualitate*  
peccat, sed *quantitate* exundat, unde in sua Crasi est floridus,  
fluxilis, laudabilis.

§. XXXI.

Sed subest in hoc negotio plane peculiaris *directio* post  
in-



inventionem & decisionem iustam *convenienter* administranda; *Natura* enim, quæ alias corpori suo *presidet* ejusdemque diversas læsiones & periclitaciones optime *cognoscit* & imminentes noxas *simplici sensationis* actu advertit, hac etiam divinitus concessa qualitate gaudet, ut corpori suo exquirit *proportionatis* subsidiis, adminiculis & methodis succurrat, i. e. illa adminicula secundum *necessitatem* & *habilitatem* noxæ in genere, & nocentis causæ in specie æqualiter & iuste instruat, adeo ut in legitimo *ordine* & progressu secernat, ubi secretionem opus est, & tali etiam modo excernat & multiplicia pericula avertat, non minus motus suos ita invicem *subordinet*, ut finis salubritatis tanto certior sit ac presentior, peculiari plane methodo, cuicumque vicissitudini *conveniente* & adæquata, quam methodum ipsamet ut plurimum *ordinat* & invenit, eandemque non *aliunde edocta* secundum *Hippocratis* assertum exerceat, tanto magis vero *exquisite* & proportionate hanc suam energiam qualificatam celebrat, quo *presentior* & magis fontica est noxa, in qua tanto minus *peccare* convenit, (ut cum *Hippocratico* termino loquamur) quo magis sensibilis & gravis illa est noxa.

§. XXXII.

Hanc *Naturæ Energiam* vero non commodius & planius deprehendere possumus, quam in *febris*, in quibus ut plurimum citiori periodo peragit, quæ peragenda sunt, quo citius est periculum imminens, hinc activitatem suam certis & *exquisitis diebus* imo & *horis* adstringit, in quibus actus suos *iustificat* & celebrat, & ita illud agit, quod alias *anima* in rebus arduis moraliter agere solet, ut actus suos certis *propositis* horis & diebus accommodet, & tanto magis etiam in *tempore* ordinem iustum & laudabilem fervet, quem ordinem in tempore servandum secundum generaliore actionum suarum periodum instruit & per *septenarios* decursus modificat; neque hanc methodum in hac evacuatione per hæmorrhagias absolvenda transgreditur, sed accurate attendit, & quia



uno *simultaneo* excretionis actu se expedire contendit, ita criticam hæmorrhagiam format: dico, quod si natura partitis vicibus febrem absolvere non constituat, sed *una* ventilatione plurimū sese exonerare decernat, ut plurimum *Crisin* faciat, tanto magis vero hæmorrhagiam criticam formet, quando sanguis *abundans* vel unica & simplex causa est, *propter quam* febris formatur, vel potiorē causam efficit, ob quam reliquæ *secretiones* & *excretiones* aut *discussiones* facile & prompte administrari nequeunt, unde in aliis quam Synochis febribus, ut plurimum critica hæmorrhagia non contingit, nisi notoria adsit *Plethora*, quæ reliquis secretionum & excretionum successibus obstaculo est, unde prius consulto actu solers natura hanc sanguinis abundantiam imminuit, ut tanto liberius & facilius reliquos actus huic feбри magis *proprios* celebrare & feliciter perducere queat; interea vero in ardente præcipue febre sub directione & commotione sanguinis ad hæmorrhagiam, non absolute negligit levem *abstersionem* & materiæ morbiçæ *involutionem*; hinc ante talem *crisin* in eiusmodi febribus Urina aliquod leve sedimentum dimittit, cum econtra in Synocha ubi nulla proprie alia materia, quam sanguis excerni debet, Urina vix spissum quicquam deponat.

§. XXXIII.

Tanto simplicius vero & felicius *Hæmorrhagiæ criticæ* exeunt, quo magis spontanea activitate & libera, aut arbitraria resolutione natura easdem aggreditur & prosequitur, cum econtra qualitercunque *coacta* aut *temere* provocata natura vix frequenter regulas modestiæ & *æquitatis* sequatur, sed ut *provocata* vehementioribus motibus & temerariis ausibus *inustum* hæmorrhagarum progressum præpedientibus aut confudentibus prosequatur, & loco moderatæ *expulsionis*, inconvenientes partim *infarctus*, *congestionēs*, *stases*, & propterea contingentes *inflammationes* perperam formet & semet ipsam in suis actionibus rationis *confundat* æque ac *perturbet*, adeoque *deiria*, & secundum proportionem vehementiæ agendi in



in vitalibus, etiam in moralibus vehementia & furiosa exerceat & constituat; aut quando in primo limine extraordinariæ suæ activitatis & consilii ac auxilii inquirendi constituta natura aliunde & quidem per *regimina* & *artem* in ejusmodi vias & methodos seducitur, sequitur illa omnino hunc ductum & hoc subsidium tunc amplectitur, quia cum naturæ generali intentione hisce temporibus convenit, qua aliquam excretionem in genere molitur, adeoque deinde propriis motibus hanc excretionem *hæmorrhagicam* prosequitur, sed sine iusta moderatione, proportionem & ordine, quia in primis huius suæ activitatis terminis turbata est: unde eiusmodi *hæmorrhagiæ* qualitercunque *criticæ* communiter periculosæ sunt & ambiguae.

§. XXXIV.

Quandoquidem vero etiam evenit, *hæmorrhagias* vel *perfecte criticas*, vel ad criticam *indolem* quantisper referendas, in quibusdam febribus sine notabili plethoræ præsentia erumpere, neque adeo quidem *salutariter* progredi, qui tamen eventus est certe ex reliquis rarior, hanc vero peculiarem involvit circumstantiam, quod eiusmodi subiecta alias ad eiusmodi hæmorrhagias *adsueta* sint, & ex hac *consuetudine* easdem frequentius fuerint experta, unde natura huic actui peculiari industria adsueta, in febribus præcipue, in quibus communiter suam promptitudinem & activitatem *extraordinarie* exercet, hanc evacuationem non propter specialem *utilitatem*, sed propter *habilitatem* & *consuetudinem* suam administrat, & ita fallaciam Elenchi in eo committit, quod secundum suam usitatam agendi *promptitudinem* hanc excretionem modificet, & non secundum *necessitatem* convenientiæ, i. e. an etiam talis excretio *directe* huic *febri* conveniat, an contra; exinde etiam in genere *fortuitum* utilem eventum expectat, cum alias quandoque ex hac ventilatione levamen quoddam & auxilium susceperit: ex quo patet, quod in hoc statu omnino in speciali *inventionem* subsidii & adminiculi *erret*, unde etiam



cum eiusmodi hæmorrhagiis raro *perfecte* criticum exitum prosequitur, sed multoties *anomalice* & *funeste* decurrit.

§. XXXV.

Recte itaque veteres ejusmodi *Crisin Luctam Naturæ cum morbo* appellarunt & hunc actum, *Naturæ*, simpliciter adscripserunt, talibus laudibus deprædicatæ, quibus alia vel *materialis* intrinseca vel adventitia causa minime digna est, ita ut ex omnibus circumstantiis tam *inventionis*, quam *directionis* prudentia quædam, aut in genere *rationalis* naturæ qualitas emineat, eaque propter hæmorrhagiæ criticæ in antecedentibus non *furtivo* eventui, sed *prudenti* administrationi *naturæ* absolute assignatæ sint; quæ natura secundum vicissitudines *circumstantiarum* in moralibus vel *bene* vel *male* agit, adeoque in vitalibus vel *bene* vel *sinistre* suas actiones perficit: hæc restricta prudentis naturæ qualitas præter reliqua etiam ex eo elucescit, quod *circa* & *post* Crises tales perinde per hæmorrhagias absolvendas *morales* suas mutationes *directe* ad *Crises* pertinentes aperte sistat, & *ante* Crisin, dum nondum de felici & *salutari* exitu perfecte certa est & *secura*, *anxia* magis quam *secura* sit, *tacita*, quia hoc tempore aliis attentionibus inhærere neque consultum, neque utile est, imaginationibus suis circa res *rubicundas* & cum *rubore* conspirantes occupata, quia iam circa *objectum* floridum, *sanguinem* scilicet versatur, *deliriis* quandoque agilis, quo magis actus hic sub multis aliis *turbationibus* & impedimentis deduci solet, præter solitum *securitatem* & *somnum* evitans, quia in tam arduo negotio minime requiem capeßere & securitati indulgere æquitas postulat, ab omnibus reliquis *extraneis* circumstantiis abstrahens, quia diffusio talis & conversatio huic fontico actui minime quadrat, & quia *sibi ipsi* iam prospicere principalior est necessitas, quam *extrinsecis* occasionibus & adventis rebus sese immiscere, quæ singula ex morali necessitate & habitudine simpliciter profluunt.

§. XXXVI.



Hic etiam *essentialis* naturæ *concurfus* ad Crises tales ex *confectariis* perspicuè elucescit, quando tales evacuationes *legitime* peractæ sunt, inde inquam natura ex pristina sua anxietate, taciturnitate & sollicitudine, re scilicet bene deducta, in *alacritatem, magnanimitatem, delectationem, gaudium* inclinat, pari consequentia, ac in moralibus, ardua & periculosa re & occasione subacta, anima de felici exitu, securitate & libertate gaudet & gloriatur, hinc discussio plurimum maximo periculo aliis iterum contingentiis se se associat, & sub hac libertate *tranquille, placide, constanter* & cum multa Euphoria reliquas vicissitudines optime deducit & exequitur. Quæ mutationes cum nulli *materiali* causæ essentialiter adscribi queant, neque *fortuito* eventui vinculari, sed iustam suam & absolutam connexionem cum actionibus *moralibus* edoceant, ita merito a nobis *naturæ* prudenti, *morborum medicatrici* assignantur.

§. XXXVII.

Genuini insuper illi apparatus, quorum in historia Medica mentionem latiore fecimus, non aliunde dependent, quam ab illa natura hæmorrhagiam talem prosequente, siquidem communiore minimè in formali deductione ab alio principio vel materiali vel alio incognito, ad hoc negotium proximè concurrente, derivandi sunt, sed proportionata plane methodo ad hæmorrhagias directi; unde rationi simpliciter consonum est, ut aliæ viæ leviter *stringantur*, per quas *ordinaria* quædam excretio alias administrata est, si natura *extraordinariam* quandam evacuationem prosequitur; quare alvum alias communiter occludit natura rationabili consilio, quando non per *inferiora*, sed per *superiora*, emotionem aliquam molitur, & hanc activitatem ad alvum alias exonerandam huic principali nunc actui impendit, quoniam ille alvi successus sub convenientibus conditionibus, præcipue in Synocha simplici tam necessarius non est, ac evacuatio illa per hæmorrhagiam adornan-



nanda; ut itaque ex superioribus *commodius* excernere queat, stringit vias inferiores, partim pro *receptivitate* motuum ut Philosophi loquuntur, illic impendendorum, partim pro *reprimendis* & illico excludendis humoribus, ut tanto commodius ad superiores partes reprimi, & ex iisdem sufficiens quantitas sanguinis exprimi queat, hinc hoc instante critico tempore partes inferiores non modo reliquis strictiores apparent, sed & tepidiores sunt.

§. XXXVIII.

Eo etiam tendunt *specialiores* & *proprii* apparatus, & *pressiones* in hypochondriis, maxime vero in dextro circa confinia hepatis, veluti partis sanguinis commercio & *confluxioni* præ aliis patentis; *appressiones* paulo vicinias ad *caput* tendentes in regione *pectoris* administratæ & circa *collum* celebratæ; *impressiones* in *caput*, ut propterea caput magis *tumeat*, facies *floreat*, venæ turgeant & distendantur, indeque caput *distensorio* sensu magis doleat, quo minus promptè propter illam stricturam harum partium *refluere* potest sanguis, sed copiosius in, *circa* & *ad* caput congeritur; ex hac congestione vegetiori & motu in & per caput eo ipso aucto, æstus & ardor maior sequitur, maximè sensibilis; quo magis præterea hoc tempore hæ porosæ partes stringuntur, quo minus vero facile & ad proportionem *impulsus* quidem commode sanguis *refluit*, eo exquisitior est sensus *pulsationis* & *distensionis* elevatoriæ in arteriis; quo proximius sanguis *ad* & *circa* nares congeritur & *imprimitur*, non vero inde ita cito *exprimitur*, eo magis notabilis est ille sensus in naribus & circa illas *titillatorius* & veluti *pruriens*, quemadmodum teneriores fibrillæ illic diversa tensione & distensione agitantur, exinde *oculi* ex hac distensione *ampliores* & *splendidiores* comparent, *inturgescuntibus* insimul in iisdem venulis; quo abundantius insuper sanguis circa *aures* colligitur, ut in confinio aliquo, eo ipso vero in auribus iustus & legitimus motus *tympani* impeditur, tunc  
vel



vel motus qualiscunque extrinsecus adveniens aut nullam in illud vim & efficaciam habet, indeque *surditas* aliqua oritur, aut quo *sensibilis* tympanum ipsum & adiacentes partes stringuntur, sine prompto comœatu humorum per easdem succedente, eo magis vel levissima aeris *commotio* illas afficit, ut propterea tinnitus perpetuus & qualiscunque alia molesta sensibilitas ad quosvis motus adventitios oriatur & perrennet; hinc etiam hæ affectiones commode *cessant*, quando sanguis iuste *effluit* & hæ turgescitio, distensio & strictura harum partium fatiscit, quando depletio illa & liberatio legitime succedit. Ex hoc etiam impulsu appensione & impressione humorum oritur quandoque *involuntarius* lacrymarum effluxus; & si vel eminus magis natura hanc hæmorrhagiam molitur, neque perfecte ad & in caput dirigat, sed in remotioribus viis prosequatur, inde illæ congestiones, *infarctus* & stases, imo denique *inflammationes Phrenitides & Anginodes* affectus enascuntur.

§. XXXIX.

Hæc ut simplex est demonstratio, ita tanto magis rationi conformis, quia cum ipso *eventu* exquisitissime conspirat, quantumvis & à priori patescit, quod ad hanc sanguinis expressionem non *simplex* cordis *pulsus* sufficiat, sed quod præcipue specialior adhuc quædam *directio* requiratur, ut sanguis per motum cordis *appulsus* ad nares præcipue *congeratur* & apprimatur, quia alias ut fortius & citius appulsus per numerosas & arteriarum numerum maxime superantes venas fortius & citius *reflueret*, unde peculiari motu & methodo, quod præcipuum est harum hæmorrhagiarum fundamentum, ad nares dirigi & *apprimi* debet sanguis: hæc vero appressio & directio, quomodo fiat jam assatum constat, hic vero paucis repetendum erit, quod per *Motum* ita dictum *Tonicum*, quo partes porosæ & membranaceæ fibrosæ vel *eminus*, vel *proximius* stringuntur, succedat, qui motus præcipue ad nares dirigitur & destinatur, inde etiam illa *tirillatio* stricto-



storia narium hujus motus nobis firmum & solidum testimonium præbet, quo impeditur, ne sanguis per venulas in & per nares discurrentes citius *refluat* & progrediatur; unde illud demum ex *impulso* per motum cordis vegete continuante & nihil cessante, neque ita multum impedito, sed constanter & fortiter succedente, contingit, ut sanguis copiosius & fortius ad *ostiola* venarum *appressus*, non vero ita fortiter & copiose in proportionem æqualiter *progrediens*, sed orificia illa teneriora opplens & *distendens*, demum *perruptionem* per membranulam teneriorem narium efficiat & ita sanguis ex reliqua continuante directione ad hanc evacuationem necessaria assatim effluat.

§. XL.

Hac *distensione* communi sub eadem *strictoria* directione laborant partim venæ *intrinsecus* per caput & cerebrum præcipue discurrentes, partim *extrinsecus* in faciem & reliquum caput excurrentes; unde patientes sensum illum doloris tam *internè* quam *externè* angentem, exprimunt, magis vero interne propter majorem *teneritudinem* illarum venularum & partium circumjacentium membranacearum: quare sanguis vel ad ostiolum venulæ ejusdem calvariam ingredientis ex narium amplitudine per *ossis Cribrosi* foramen in eandem membranam disseminatæ effluit, cuius *Spigelius* in *humani corporis fabrica* lib. 5. cap. 4. reminiscitur, & quæ a *Boneto* in *Sepulchreto* anatomico reperitur, quales alias venulas cerebri *Basin* perreptantes in hunc censum ducit *Riverius*: an vero arteriolæ in nares excurrentes quas *Willisus* in *pharmac. rat. sect. 3. cap. 2.* & ex illo *Bonetus* in *Polyalthe* proferunt, semper constituent Vas, ex quo *hemorrhagia*, in genere, speciatim vero *critica*, semper dico, succedat, omnino dubium est, quia illæ arteriolæ non tam eminenter in teneriorem illam membranulam narium excurrunt, sed paulo profundius procedunt, ut earundem perruptio non tam *difficilis* quam maxime *laboriosa* sit, & quia deinde non sem-



semper illa hæmorrhagia cum impetuosi fluxu succedit & excurrit; licet huic sententiæ non penitus contradicamus, sed hanc arteriolarum perruptionem ad reservatos & illos paucissimos & rarissimos eventus restringamus, quæ tamen tractatio huc directè non pertinet: neque hic supponimus, quod hæmorrhagia talis narium critica unicè per prædictas venulas in *cerebrum* abeuntes succedat, sed eo ipso, hoc loco confirmamus, quod plurimum sanguis per easdem in tali hæmorrhagia effundatur, quanquam & per jugularium ramificationes externas illam perruptionem contingere posse & solere, & ita hanc evacuationem criticam etiam largius succedere, perinde asseramus. Reliquæ vero hæmorrhagiæ criticæ & ex iisdem *Hæmorrhoides* vel *Menstrua* propriè & communius per *Hæmorrhoidalem* maxime internam & illas venulas in vaginam uteri, partim *iliacas*, partim cum *Venæ portæ* conspirantes, abeuntes, succedunt & exeunt.

§. XLI.

Liceat vero adhuc paucis in hac *Pathologia* notare, quod reliquæ tales Hæmorrhagiæ Criticæ s. per *Hæmorrhoides* & *Menstrua*, siue aliunde exeuntes omnino indigeant hoc prædicto *Motu Tonico*, ex cujus directione in diversis corporis regionibus, maxime vero cum illo loco, per quem hæmorrhagia illa succedere debet, conspirantibus, *sensationes* illæ pressoriæ, strictoriæ, spasticæ, tensoriæ, distensoriæ, æstuosæ & quandoque translatoriæ occurrunt & differentia illa ita dicta symptomata siue huic speciei hæmorrhagiæ *propria* signa constituunt, ut inde in hac nulla suboriri possit difficultas. Cur vero spontaneæ hæmorrhagiæ criticæ in *nostris* regionibus *infrequentiores* fiat, in *calidioribus* vero *Climatibus frequentiores* vel exstiterint vel existant, facile ex eo patet, quod in hisce subiecta ad *commotiones* & *profusiones* sanguinis promptiora sint & activiora, & sub fervidiore solis æstu ad actiones suas fervidiora i. e. alacriora, unde sub hoc externo æstu aut *regimine* consueto per æstuosa *calida* etiam sub ordinaria vi-



noſa Dieta in locis *vinofis* ordinato, cum motibus ſuis & excretionibus ad *exteriora* corporis loca perrumpunt, in genere vero *Criſes* frequentius ſubeunt, quo natura in vitalibus ſuis negotiis ut activior ita etiam in præſentaneis talibus neceſſitatibus hac aſſiduitate extraordinaria indigentibus, exquiſitior eſt, quæ tanto frequentius in acutioribus ejuſmodi morbis ſimultaneam excretionem & cum illa ordinem *temporis* ſervat & ſeſe in tempore exquiſito citius, activius & expeditius liberat: interim *molimina critica* inter *noſtrates* quandoque occurrunt, quæ vero, cur non frequentius exeant ſuo tempore candide aperuit *Zacutus Luſitanus in med. princ. hiſtor. lib. 1. hiſt. 64.* Et hæc ſufficiant in *Pathologia medica* Hæmorrhagarum criticarum conſideranda.

§. XLII.

Super eſt ut adhuc *Prædicam tractationem* Hæmorrhagarum criticarum adjiciamus, & illa, quæ ſecundum noſtram traditam explicationem conveniunt, adjungamus. Et hic merito primo loco diſtinguimus inter hæmorrhagias criticas *legitime* decurrentes, aut *difficilius* exeuntes, aut *vehementius* urgentes & *exceſſive* procedentes. Secundum hanc diſcretionem vel hæmorrhagiæ tales *ſimpliciter* erunt advertendæ, vel ſimul quadantenus ſecundum ſua potiora *ſymptomata* & conſectaria concurrentia. Et ita hæmorrhagiæ *iuſte, moderate, & perfecte* ſuccedentes, nullo poſitivo auxilio *pharmaceutico* vel ſtimulo vel qualicunque alio remedio indigent, cum in tali ſtatu optime ſibi conſtans, ſibi que ſufficiens natura remediis magis perturbetur, quam ſublevetur; unde magis conſilio prudenti medico hic opus eſt. Conſiſtit vero hoc conſilium in rationabili præcipuè regiminis juſti commendatione, ne ægrotantes immoderationi *refrigerationi* ſeſe ſubjiciant, ſive illa *externo* corpore ſuſcepta ſive *internis* partibus admiſſa fuerit, ut per *remedia* frigerantia & *potus* frigidos; neque convenit cum anxio *calore*, & æſtu patientes obruere & vel *tegumentis* ſpiſſioribus & pon-



ponderosis *opplere*, vel immodestius *calesfacto* hypocaufto angere; neque præstat *calidis* potulentis beneficii velut loco, ut perperam creditur, eosdem moleſtare, adeoque æſtum & impulſum eo ipſo augere: nocent inſuper immoderate *inquietudines*, jeſtigationes & quiritationes, ſed proſicit potius *continentia* modeſta & quieta gubernatio tanto magis vero confert *caput* à fervida illa aut moleſta alia *exæſtuatione* per externa regimina & fomenta inducta præmunire, ſed in genere totum corpus in *temperata* perſpirabilitate conſervare: minime omnium vero conducit hoc tempore *calida*, *acria* & æſtuoſa ſive *diaphoretica cardiaca*, ſive *analeptica* obtrudere, ne dum ex *pharmacia* remedia talia ita dicta *bezoardica* aut alia hujus nominis anxie urgere & injungere, quippe quæ humores magis impellendo, hæmorrhagiam illam immodeſte concitant & vehementius proſequuntur, eo ipſo vero reliquam *æqualitatem* turbant. Ita etiam nocet hoc tempore *poſitive* & multum *refrigerantibus* ventriculum onerare, imo ne dum quidem pharmaceuticam aliquam medelam offerre decet, quando alias hæmorrhagia talis *æquitatem* & *iuſtitiam* non tranſgreditur: ſed præſtat potius ſub hoc ſtatu ab omni medicina preſſius ſic dicta, *abſtinere*. Quicquid vero hic medicus commendare poteſt & debet, ultra ſufficientem humorum *dilutionem*, per *potum convenientem* adminiſtrandam, non progrediatur: facta vero tali hæmorrhagia & legitime definita *analeptica* temperatiora maiorem & convenientiorem uſum habent, præter reliqua, quæ febris ſucceſſui, ſed hic non magis hæmorrhagiæ, quadrant, de quibus ultimis nobis dicendum non eſt.

§. XLIII.

Criticam talem evacuationem, quam ſibi *firmiter* propoſuit natura periculofum omnino eſt *præoccupare*, niſi illa præoccupatio *directè* plane huic criticæ intentioni quadret, i. e. cum qua natura *directè ſublevari* poſſit, ne ipſamet hunc

F 3



hunc laboriosum & difficilem actum necesse habeat ut concitet: unde in febribus, in quibus plethora vel unica causa materialis est, vel illa principalior, quæ reliquos actus huic feбри essentialiter necessarios impedire potest, *tempestiva* ventriatio & imminutio non tantum utilis, sed & necessaria est, sed dico tempestiva, non in tertium aut quartum diem prolonganda, sed vel primo vel secundo die per sufficientem *Vene Sectionem* instruenda; quo loco *unica* ut plurimum satisfacit sufficiens sanguinis extractio, ut *repetitiones* V. Sectionis non æque necessariae sint, alias hæ incongrue iteratae eductiones naturam in reliquo actu febrili confundunt & huic inventioni adstrictam magis veluti detinent, ut reliquas absterfiones, discussiones, secretiones & excretiones negligat, indeque vel Hæcticæ febres vel alii anomali & chronici exoriantur.

§. XLIV.

Tanto magis vero V. Sectio locum habet *tali ordine* administranda circa *initia* febris Synochæ; ubi vero Plethora non præsto est, molimina interim hæmorrhagica ad criticum typum contendunt, ibi non modo V. Sectio non necessaria, sed ne dum utilis est, & præstat hic naturam quantum fieri potest *modeste* in convenientem aliquam methodum deducere & *promovere*, i. e. ut illa agat, quæ in hac specie febris rectius agenda conveniunt: omnis vero *provocatio* & temeraria concitatio naturæ ad tales hæmorrhagias qualitercunque etiam illa informetur, certissime nocet; unde sine eminente & urgente plethora, ne dum in inflammatorii febribus confert Venam secare, & tali modo vel congestiones ad criticam hæmorrhagiam, vel ipsas inflammationes earumque incrementa præoccupare velle: alias uti monuimus, jam succedens hæmorrhagia critica moderata nullo modo turbari aut curari debet: neque improvidè hæmorrhagia talis etiam largior pro *nimia* aut *noxia* supponenda & tractanda est, licet ad proportionem individui una libra aut plures



res sanguinis effluerint; cum longe melius sit sufficienter hunc fluxum succedere, quam parcius, siquidem exiguus criticus fluxus communiter nihil subleuat, sed potius nocet, testante experientia, docente *Sene.*

§. XLV.

Hæmorrhagia critica, quæ jam instat, vel *remotius* molitur, vel *difficilius* succedit, vel *impetuosioribus* motibus progreditur, aliam meretur tractationem, præcipue *moderationem* horum inconvenientium & impetuosorum motuum, *remotionem* circumstantiarum, quæ hanc hæmorrhagiam difficilem reddere possunt & in remotioribus viis naturam quantisper detinent. *Primum* contingit per remedia *Nitrata* rectius per *Nitrum* in substantia adhibendum, siquidem Spiritus Nitri dulcis, licet famosum alias remedium audiatur, huic scopo commodè minime satisfaciatur, sed præstat *Nitrum* vel *pulveretenus* cum *absorbente* remedio ad pauca grana remixtum, repetitis vicibus offerendum, vel *potu* ordinario propinandum, quam ultimam etiam oblationem in pari casu commendat *Bonetus in Polyathe*; siquidem alias *Nitri* usum in eiusmodi *impetuosis* motibus congestoriis laudavit *Celeb. Wedelius in Diff. de Angina*; quo remedio ante Crisin præcipue exhibendo, non tantum illi *generaliores impetus* temperantur & mitigantur, sed & *Specialiores infarctus* & *inflammationes* præventur, unde repetitus usus Nitri tanto magis juvat; præterea conveniunt in hoc ordine *Diluentia*, potu sufficienti instruenda, siquidem & hoc nomine *potiones* moderatiores ex *Aquis diaphaneis* & *analepticiis* paratæ, ut sunt *Scabiosæ*, *Plantaginis*, *Scordii*, *Scorzonere*, fl. *Sambuc. Rosarum*, *Cerasor. nigr.* *Cinnamom.* *Borraginis* &c. addito pauxillo *Syrupi Papav. rhæad.* vel *Acetositis Citri* aut loco horum adjecto *absorbente* quodam vel *antimoniato fixo remedio*, *Matre perl.* *Ocul. 69. rum.* *antim.* *diaph.* cum fructu adhibentur. Pari fine confert *Mixtura simpl.* non valde *comphorata* prudens usus; minime vero hoc censu com-

men-



mendamus vel Aquas refrigerantes vel Semina mucida refrigerantia, quæ ejusmodi impetus magis introducunt & totum salutarem exitum frustrantur. Pro *moderatione* impetuosioris ejusmodi moliminis proficit etiam *continentia* moderata & placida *quies*, una cum *modesta* corporis præcipue partium inferiorum *obtectione*, quemadmodum corpore vel in genere non *perspirabili*, vel in specie *stricto*, impetus illi magis ad *superiora* sæviunt & continuant. Quodsi alvi firma & pertinax *constrictio* nonnunquam in culpa fuerit, ut eiusmodi impetuosiores motus exoriantur & perennent, minime præstat eandem stimulantibus provocare, sed si quid agendum e re fuerit, illud *Clystere* magis perficiendum erit *emolliente*: quodsi vehementiores *spasmi* una concursent, præstat usum parcum & prudentem *Cinnabaris* cum *Nitro* commendare, minime vero narcotica offerre quæ sensibilius nocent. In toto vero hoc statu consultius est ab acrioribus, calidis, impellentibus & volatilibus abstinere; neque secure in moliminibus ad Menstrua critica connitentibus famigeratum alias Castorium vel quicquam communi sua laude dignum præstabit, sed magis ut plurimum nocebit, cuiusmodi tentamina passim assiduo spectatori occurrunt & quæ quoad primam circumstantiam fuerunt advertenda.

§. XLVI.

Quando Hæmorrhagiæ tales criticis temporibus instant, attamen *difficilius*, licet non impetuosius percurrunt, proinde medicam opem requirunt; & quidem *temperatissimam* quandam *promotionem* & præsentium *impedimentorum* *remotionem*; *Prima* intentio obtinetur per remedia moderatiora *alexipharmaca*, minime vero per impellentia & turgescientem illam sanguinis quantitatem ulterius fortiter commoventia, subtilia, volatilia, vel nimium sulphurea, acris, quo nomine ab imprudenti usu camphoratorum sedulo dehortamur; ex prædictis vero *alexipharmacis* commendatas habere volumus *radices*



ces temperatiores, *Helenii*, *Caryophyllat.*, *Pimp. alb.*, *Leviflici*, *Bardane*, *Gentian. rubræ*, *Scorzonera*, *Valeriana*, *Vincetoxici*, & herbam *Scordii*, ex quibus parata saturata *Essentia* efficacissime confert, servato insuper illo regimine, de quo supra diximus; pari vero securitate, nec contemnenda utilitate Potiones *Aquosæ diaphnoicæ* & leviter *analeptica* cum vel sine aliquo *absorbente* maritatæ conferunt, præter illam quietem & continentiam, quam jam commendavimus & hoc etiam loco necessariam & proficuum prædicamus; siquidem pro hac difficultate corrigenda, quæ plurimum ex remotioribus moliminibus oritur, *Nitrata* remedia, certe præ famosis reliquis calidis bezoardicis & Cardiacis compositionibus salutaria sunt & utilia. Quod si vero *Essentiæ* supra dictæ non in tempore ad manus sint, conducit eodem fine adhibenda temperata quædam *Tra Bezoardica*, quo loco etiam *Mixturam simplicem* non nimium *Camphoratam*, præcipue in *floridioribus* & tenuitate sanguinis gaudentibus subjectis, laudamus. Quod si demum talis hæmorrhagia narium præcipue *vicinius* instet & patientes in naribus & circa easdem *titillatorium* sensum experiantur, adjuvat levis & moderata quædam narium commotio vel frictio modesta, ut illa perruptio inde faciliter; quanquam spontaneo concursu & auxilio ægrotantes tali sibi ipsi frictione ut plurimum consulere & succurrere sciant: minime vero probamus topicum refrigerantium usum, dum secundum veterum, ipsius etiam *Hippocratis* Therapiam, vel nuchæ vel regioni hepatis refrigerantia talia imponenda commendantur, quam methodum in calidioribus regionibus paulo maiorem utilitatem habuisse, veterum dogmata comprobant, quo magis illico motus cum humoribus ad superficiem corporis translatus fuerunt, & hoc consilio ad interiora & sub reliqua directione vitali ad proxima loca deducti & repressi sunt. In *Menstruorum* vero & *Hæmorrhoidalium* excretionum secunda & efficaci promotione, etiam in hoc negotio, præter reliqua, quam maxime utiles adeoque commendatione dignæ sunt *Pillule Balsamicæ Celeb.* *D. D. Stahl.*



*Impedimenta*, quæ talem criticam eruptionem retardare & *difficiliorem* reddere possunt, sunt vel *inquietudo* ægrotantis, quæ sedulo interdicenda, vel *infarctus* & congestiones in partibus superioribus ex abundantia sanguinis evenientes, quibus temperandis vel moderata humorum *distributio* convenit, quando reliquum corpus in reliquam perspirabilitatem redigitur, immoderatiores refrigerationes excluduntur & sanguis ipse sufficienter *diluitur*, ne ex aliquali crassitie sub hac abundantia suscepta tanto magis incarcerationibus, & infarctibus inferendis occasio præbeatur, quæ congestiones exteriores superiorum partium regiones invadentes *Camphoratis* topico usu prudenter adhibendis, vel *Epihematibus* resolventibus & discutientibus optime corrigi & mitigari possunt. Si vero sanguinis subtilitas & fluxilitas nimia, huic perruptioni impedimentum ministret, commendamus *Mixturæ simplicis* dextrum usum, aut *Fulepos* ex *Aquis diapnoicis* & *Syrupis acidiusculis* parandos, quibus pauxillum de *Syrupo papaveris erratici* vel *Diacodii montani* pro præcavendo omni impetu & vehementia, adjici potest; Non minus & hoc scopo perquam conferunt *Nitrosa* aut teneriora *absorbentia* aut in potum ordinarium prudenti & parca manu injicienda *acidiuscula* ex *acetositate Citri* vel *Clyffo Antimonii Sulphurato* deprompta; siquidem eodem usu etiam conducit *Gelatina Cornu Cervi citrata*. Ipsa vero simplicior abundantia sanguinis, si in culpa sit, pro impedimento tali conciliando, minime consulto hisce intempestivis vicibus V. Sectione ventilatur, sed placida & sufficienti motus promotione suffulcitur. Quando vero in moliminibus ad Criticas hæmorrhagias per *Hæmorrhoides* aut *Menstrua* in dispositis & adfuetis subiectis & temporibus absolvendas siccitas & *strictura* alvi difficultatem præbeat, præ reliquis prælaudatæ *Pillule* vel *Clysmata Emollientia*, *Salina digestiva*, *Nitrosa* & *Potus Sufficiens* hoc impedimentum declinabunt.



ter est tractanda, & ita quidem, antequam Crisis illa oriatur, medicus præcavere debet, ne ex nimia præcipue massæ humorum turgescencia illa Crisis graviter impediatur; pro hac vero temperanda inserviunt ante citata consilia & auxilia, quo loco adhuc a positive refrigerantibus remediis dehortamur, sufficit prudens usus Nitri & commendatæ MRæ simplicis, aut in ardentibus & inflammatoriis febribus prudens oblatio tam absorbentium simplicium præcipue teneriorum, quam cum Nitro remiscendorum, aut cum acido aliquo attenuatorum; in exanthematicis vero febribus hoc nomine conferunt vel potiuncule Diapnoicæ cum Absorbentibus sociatæ, vel cum Syrupo Acido temperanter maritatæ, una cum regimine tranquillo, modestius calido, minime vero omnium anxio & molesto,

§. XLIX.

Quod Hæmorrhagias jam fluentes concernit, præcipue criticas, de quibus loquimur, non vero symptomáticas, illæ si legitime succedant, nullo modo supprimi aut cohiberi debent, vel adstringentibus vel ogglutinantibus vel narcoticis, sed convenit ut sufficienter fluant, intempestive enim suppressæ tales criticæ hæmorrhagiæ, qualia damna inferant, partim ab Henrico ab Heer, partim a Foresto in observationibus Med. latius descriptum est: sequuntur inquam has improvidas cohibitiones, vel mors præsentanea cum Suffocatione, aut Phrenitis funesta, vel alia gravis & periculosa partium superiorum inflammatio, vel apoplectica quædam affectio, cujus passim Bonetus in suo sepulchret. anatom. mentionem facit, vel Hædica periculosa, quæ omnia confectaria, non alio, quam cum funesto eventu terminantur, adeoque præstat, ut supra jam commendavimus, in ipso fluxu adhuc qualitercunque moderato, nihil tentare, sed remove illas causas, quæ hunc fluxum turbare quomodocunque possunt, & sub hac moderamine spontaneam huius fluxus cessationem expectare.

§. L.

Quando vero hic criticus sanguinis fluxus nimium succe-



dit & cum stupenda ac enormi profusione continuat, 'ac tunc demum excedit, tunc etiam moderationem aliquam sollicitat, in hac vero necessitate non commendamus primo impetu obtrudenda externa vehementiora adstringentia & repellentia, sed interne frequentiori dosi adhibenda *Nitrata* aut *acidiascula* & massam humorum temperanter *incrassantia*, ut inde sub hac securiori etiam temperatione fluxus ille facilius subsistat: ex tonicis vero & stringentibus probamus usum *Coralliorum rubr. Specier. de Hyacintho* aut *Confectionis de Hyacintho* cum *Aquis* & *Syrupis analeptics* & *acidiasculis* remiscendæ, *Smaragd. pptæ.* aut demum tenuioris *Croci Martis* prudenti & modesta dosi offerendi: *externe* demum vero si interna non sufficienter prosint, sub continuando usu *Nitratorum* remedium, ut & moderate *discutientium* & Massam humorum æqualiter distribuentium, *aquam aluminosam* tepidam modeste attrahendam laudamus, aut temperata attractione *pulverem ex flor: Balaustiorum, Rosarum, Rad. Bistortæ paratum*; Siquidem alia temperanter magis quam impetuosè adstringentia, passim obvia, sub hac methodo prudenter in usum trahi possunt: an *Jaspis rubra, Buso exsiccatus* & *Hematites*, in hisce hæmorrhagiis manu, vel de collo gestanda, aut *ligaturæ digitorum manuum vel pedum* etiam proficiant, uberior experientia erit concilianda. Non minus rube-facientia & vesicatoria in inferioribus applicanda & alibi commendari solita ad eundem usum derivatorium magis, quam directe compescentem, ob consecutaria admodum ambigua, minime cum multis laudibus a nobis commendantur & admittuntur. Mitigata vero tali hæmorrhagia sedulo adhibenda & continuanda sunt *temperantia, discutientia* & leniter *analeptica* una cum *Diæta tenui, diluente* & molli conjungenda, regime & tepido & moderato conferenda, ne hæcticæ cuidam affectioni via & occasio pateat.

§. II.

An ex Veterum medicina f. methodo huiusmodi hæmorrhagiis medendi, quædam in nostris nationibus proficua sint aut cum



cum fructu adhiberi possint, partim ex ratione, partim etiam ipsa relatione ad individua, & experientia petenta erunt. De *refrigerantibus* iam monuimus, quod in ejusmodi affectibus veteribus valde familiaria fuerint, quæ vel prisci præcipue cervici vel pectoris regioni vel hypochondrio maxime dextro applicuerunt, siquidem & pedes in aquam frigidam imponendos commendarunt, prætereaque infusus frigidus & usum frigidæ internum ordinarunt, quæ vero vel veteribus & in calidioribus ac fervidioribus climatibus versatis practicis non intense frigida, & secundum nostrum sensum gelida aut hyberno gelu frigefacta apprehendenda sunt, sed tepidiora; deinde in frigidis regionibus frigidorum applicatio subjectis longe sensibilibior, ut in maximo æstu, præcipue febrili, tanto minus frigidis subjectis *adsuero*, inde gravius alterentur, quo minus *calidioribus* individuus in fervidioribus locis tepidorum usus sensibilis valde aut alienus esse potuit, siquidem illa, prævalente æstuosa & calida sua qualitate, non repentinis motibus recursus ad interiora perpeffa, qui magis in nostris climatibus non tam pertimescendi quam experiendi erunt: ex tepidorum vero applicatione nostris subjectis parum subsidii ad præsens negotium exquisitæ facientis expectandum erit: denique calidiorum climatium subjecta ad excipienda tepida longe moderatiora fuerunt, quo magis frigidiorum locorum subjecta ad excipienda frigida immoderata sunt, præcipue in subjungendis motibus & ardorandis anomaliis eorundem. Neque cucurbitularum diversæ applicationes unquam eventum fidum, & securum effectum sunt pollicite, unde ab ambiguo tentamine merito abstrahimus: ex omnibus vero in necessitate urgente, quando hæmorrhagia critica tam enormis & *incompefcibilis* videtur, concedimus derivatorio scopo moderatam *V. Sectionem*, interponendis remediis temperantibus & moderatis diaphnoicis; quanquam prudenter adhibitis supra recensitis ad hanc ventilationem recurrere ut plurimum minime urgeatur Medicus: unde non nisi *refrigidis* terminis & circumstantiis talem edu-

ci.



tionem admittimus : temere enim celebrata talis evacuatio non nisi periculosis confectariis ansam præbet.

§. LII.

Sed ne labor noster in diffusio rem molem excrescat, traditis sufficienter practicis monitis & instructionibus, placet ultimo eminentioris illius symptomatis mentionem facere, ante eruptionem sanguinis e naribus criticam sub impetuosiore & difficiliore progressu evenientis, *anginodæ* scilicet illius *intumescentiæ*, quæ admodum periculosa est, & præcipue præter illa quæ antea in impetuosius ejusmodi moliminibus commendata sunt, immediatam medelam postulat: conveniunt verò in hac necessitate *Gargarismata discutientia* & successive magis magisque *Adstringentia* ex radice *Vincetox* *Levisici*, *Liquirit*, *Caryophyllat*. *Bardane*, *Bryonia*, *Ireos flor*, *Bistorta*, *Herb*. *Scordii*, *Salvia*, *Hyssopi*, *Chereseol*. *Prunelle*, *Pyrolæ*, *Agrimoniæ*, *Hæderæ terrestr*. *Auricul*. *mur*. *Flor*. *Rosarum*, *Hyperic*. *Lil*. *alb*. *paranda*, quibus in urgente ardore faucium pauxillum Nitri adjici potest: quemadmodum externe *Emplastra discutientia*, ut *Diachyl*. *Diaphoret*. *Mynsichti*, de *Galbano*, *Imperial*: *Spermat*. *Cet*. & *Ranarum*, *Camphorata* optime conducunt, modo hæc talia in principiis hujus symptomatis tempestive adhibeantur: an vero in tali Angina citius exoriente alia remedia necessaria sint, præcipue vero *V. Sectio* in venas *sublinguales* exercenda, non convenit hoc loco latiori explicatione proferre, quia hoc negotium ad nostrum propositum directè non quadrat, sed ad aliam classẽ Symptomatum præcipue febrilium; unde hic merito sufficimus, & DEO omnis Benedictionis fundo devotas & humilimas grates persolvimus, quod huic labori clementer annuere & benedicere voluerit, quem supplices veneramus, ut reliquis nostris Conaminibus clementissime adspiciat & benedicat, quo usus in gloriam nominis sui & commodum proximi directus tanto firmior sit & certior.


F I N I S.





**V**An sieht es gar geschwind/ wer was gelernt hat/  
 Und mehr den muntern Fleiß/ als Müßiggang geliebet:  
 Denn es verbirget sich unmöglich solche That/  
 Wenn einer seine Kunst der Welt zu wissen giebet.  
**M**ein Hochgeehrter Freund/ diß sieht man auch an Ihn/  
 Wie es diß Specimen mehr als zuviel beweiset/  
 Drum nehme Er hierzu jetzt meinen Glückwunsch hin/  
 Und glaube/ daß das Werck stets seinen Meister preiset.

M. Frau Gott Dittfrich Wagner/



**B**leich wie den Mittel - Punct der unverzäunten  
 Welt/  
 Das Haus der Sterblichen/ die Nahrungs-  
 volle Erde  
 Der treue Jupiter so lieb und eigen hält/  
 Daß sie von selbigen allein gesegnet werde  
 Mit reichem Ueberfluß: So liebt er auch dabey  
 Dasselbe/ was von ihr den Ursprung hat genommen/  
 Und daß die kleine Welt noch vollkommener sey/  
 So muß Minerva selbst aus seinem Scheitel kommen.  
 Was wäre doch ein Leib? Nichts/ als ein Leim/ ein Sand/  
 Wenn nicht die Seele erst die Menschen menschlich machte/

Die



Die etwas Göttliches im Willen und Verstand  
 Bey der Erschaffung mit in diß Behältniß brachte.  
 Ob nun ein Apffel-Biß die Kräfte zwar verlegt/  
 Daß Wille und Verstand aus ihrem Seyn gekommen :  
 So hat ein kluger Rath den Schaden doch ersetzt  
 Den man so nach und nach von Lehrern angenommen.  
 Drum blüth diß Saal-Athen / und trägt den Ruhm davon/  
 Daß es viel tausende deshalb an sich gezogen/  
 Weil jederzeit allhier so mancher Musen-Sohn  
 Den wahren Unterhalt / die reinste Milch gesogen.  
 Du hast sehr wohl gethan mein werthgeschätzter Freund/  
 Daß Du dich dieserhalb an diesen Orth begeben.  
 Denn wo der Wahrheit Glanz am allerhellsten scheint/  
 Da läßt es sich gewiß am allerbesten leben.  
 Daß Dein geschickter Geist fast vollenkommen sey/  
 Zeigt die gelehrte Schrift / die Du wirst defendiren ;  
 Ich wünsche Glück dazu / und dieses noch dabey/  
 Daß Dich die Klugheit mög' auff Pindus Höhen führen.  
 Fährst Du nur ferner fort der Wahrheit nachzugehn/  
 So lebst Du tugendhaft / warum? Du lebst vernünftig/  
 Ob Du auch deinen Fleiß nicht gleich kanst fruchtbar sehn.  
 Was nicht so gleich erfolgt / geschieht dennoch wohl künfftig.  
 Im übrigen nehm ichs für eine Ehre an/  
 Daß Du hast mich ersucht diß wenige zu schreiben/  
 Bleib mein getreuer Freund ; und wenn ich bitten kan/  
 So glaube daß ich es auch ohne falsch will bleiben.

Dieses wenige schrieb seinem lieben  
 Freunde zu Gefallen

OLISCHLAGER, J. S.





01 A 6510

ULB Halle

002 929 198



3

vol 18









DISPUTATIO MEDICA THEORETICO-PRACTICA,  
DE  
**HÆMORRHAGIIS**  
**CRITICIS,**

*Quam*  
AUSPICE DEO OPTIMO MAXIMO  
IN ACADEMIA REGIA FRIDERICIANA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, ET DUCATUS MAGDEBURGICI  
VICARIO.

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU  
SUB PRÆSIDIO

**D. MICHAELIS ALBERTI,**

Publicæ ventilationi exhibet

RESPONDENS

**JOHANN GOTTLOB TITIUS,**

Wintziga-Silesius.

*d. April. A.O.R. MDCCX.*

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.